

MARULLO

EPIGRAMMATON LIBRI

AD LAURENTIUM MEDICEN PETRI FRANCISCI FILIUM

(2459 vers)

LIBER PRIMUS

EP1_1 v.1 Inter mille neces durique incommoda Martis
 2 quis putet Aonias posse juvare deas ?
 3 Hic quoque, Laure, juvant perque arma ensesque sequuntur,
 4 militiae comites nec pudet esse meae,
 5 quaeque manus ferrum, posito fert ense libellos :
 6 et placet et Musis est sine dulce nihil.
 7 Sed tamen his studiis debetur lassa senectus :
 8 interea certe sudor uterque decet.
 9 Tu modo, diverso gladios dum stringimus orbe,
 10 hoc tibi sinceri pignus amoris habe.

AD NEAERAM

EP1_2 v.1 Salve, nequitiae meae, Neaera,
 2 mi passercule, mi albe turturille,
 3 meum mel, mea suavitas, meum cor,
 4 meum suaviolum, mei lepores :
 5 tene vivere ego queam relicta ?
 6 Tene ego sine regna, te sine aurum
 7 aut messes Arabum velim beatas ?
 8 O prius peream ipse, regna et aurum !

DE NEAERA

EP1_3 v.1 Inventa nuper, nervum cum tenderet acrem,
 2 obstupuit visa victus Amor domina.
 3 Sensit laeta suas vires oculosque retorsit,
 4 dum fugiat : ventis ocior ille fugit.
 5 Sed dum forte fugit, plenae cecidere pharetriae,
 6 devicti spolium quas tulit illa dei,
 7 induiturque humerum pariterque hominesque deosque
 8 una ferit : victus errat inermis Amor.

AD FALCONEM

EP1_4 v.1 Ingrate Falco et crimen alitum omnium,
 2 quascumque mollis aura sublevat solo,
 3 caelumque pennis nubila et tranant suis
 4 ac regna solae caelitum et vident domos :
 5 quis te repente tantus invasit furor,
 6 tam mite regis perpeti ut nolles jugum,
 7 qui te tam amabat virgo quam puppas solet,
 8 nondum mariti virgo quae sedit sinu,
 9 nec ad jugales dejicit lumen faces ?
 10 An nesciebas regias longas manus ?
 11 Insulse, inepte, perfide, ignave, impie,
 12 cujus opera huc rex toto et huc vagus die,
 13 vix nocte multa lassulus redit domum.

AD PAULUM TARCHANIOTEN

EP1_5 v.1 Quid me, Paule, tuis vocibus enecas ?
 2 Non dis, non Veneri placet,
 3 quae curis lacrimas mitibus ingerit,
 4 nec fas est posito jugo
 5 oblitum dominae vivere et ignium,
 6 quem tactum semel improbus
 7 miris versat Amor saevitia modis.
 8 Tu, cui major inest vigor
 9 et mens desidiae non patiens malae,
 10 artes et patrium decus
 11 tutanda et titulos suscipe Achaicos :
 12 nos contra tenues sine
 13 assueto dominae servitio premi,
 14 contentos placito sinu
 15 inter nequitias mutuaque oscula
 16 turpem canitiem pati.

MORTUI PRO PATRIA

EP1_6 v.1 Tu, quicumque virum vacuo tot milia in arvo
 2 cernis ab hirsutis dilaceranda feris,
 3 desine mirari : patrii est hoc moris, honestam
 4 pugnando mortem quaerere, non tumulum.

AD ANTONIUM PRINCIPEM SALERNITANUM

EP1_7 v.1 Quaerite Maeoniden, Musae, redit alter Achilles ;
 2 quaerite Peliden, Maeonides remeat.
 3 Hic erit, et magnum referat qui solus Homerum
 4 et renovet Phthii fortia facta ducis :
 5 vos modo felices annos et candida vitae
 6 tempora tam rarib[us] apta date.

EPITAPHIUM THEODORI GAZAE

EP1_8 v.1 Hic Gazes jacet et Gazae Sophia addita mater,

2 alterutrum quoniam mors rapere haud potuit.

AD FRANCISCUM SCALAM

EP1_9 v.1 Scala, delicium tui Marulli
 2 et veri columen decusque amoris :
 3 quis te, quis deus huc venire jussit
 4 solatum ad veterem tuum sodalem,
 5 qui solus Calabris misellus oris
 6 ejectus patria sodalibusque,
 7 uni qui mala patriae levabant,
 8 flendo tempora conterit maligna ?
 9 O diem nitidum ! Quis huc, quis unquam
 10 venturum mihi, Scala ; te putaret ?
 11 Venisti tamen, o amice, nec te
 12 tam longae labor est viae moratus.
 13 En, cape oscula tam diu cupita,
 14 amplexus cape tam diu negatos :
 15 fruamur pariter die beato !
 16 Qui scis crastina quid minetur hora ?

AD MAXIMILIANUM CAESAREM

EP1_10 v.1 Siquis opum largus, siquis virtutis alumnus,
 2 siquis sincerae cultor amicitiae,
 3 si quisquam dubia fati sublimior aura,
 4 siquis fortunam qui facit ipse sibi,
 5 siquis Marte ferox, siquis post arma benignus,
 6 siquis qui, quod habet, hoc habet ille bonis,
 7 siquis possessor fidei, probitatis, honesti :
 8 ne vivam, si non tu mihi, Caesar, hic es.

DIDO IN ANULO

EP1_11 v.1 Tu, qui me casusque meos in imagine parva
 2 aspicis et digito tristia fata refers :
 3 vera haec effigies, nex vera est, hospes, Elissae,
 4 sed non vera necis causa pudendus amor.
 5 Nec mihi Phryx nocuit (nec enim Phryga novimus ullum),
 6 cura sed antiqui casta tenaxque tori,
 7 quam ne conjugio Lybici violare tyranni
 8 cogerer, hac cecidi fortiter usa manu.
 9 At vos, o vates, si sunt haec praemia laudi,
 10 quae feret incesti femina adulterii ?

AD ANTONIUM PRINCIPEM SALERNITANUM

EP1_12 v.1 Das gemmas aurumque, ego do tibi carmina tantum :
 2 sed bona si fuerint carmina, plus ego do.

AD NEAERAM

EP1_13 v.1 Sic me, blanda, tui, Neaera, ocelli,

2 sic cudentia colla, sic patens frons,
 3 sic pares minio genae perurunt,
 4 ex quo visa mihi et simul cupita es,
 5 ut, ni me lacrimae rigent perennes,
 6 totus in tenues eam favillas.
 7 Sic rursum lacrimae rigant perennes,
 8 ex quo visa mihi et simul cupita es,
 9 ut, ni, blanda, tui, Neaera, ocelli,
 10 ni cudentia colla, ni patens frons,
 11 ni pares minio genae perurant,
 12 totus in riguos eam liquores.
 13 O vitam miseram et cito caducam !

EPITAPHIUM GERMANICI CAESARIS

EP1_14 v.1 Parce, hospes, tumulo : Caesar Germanicus hic sum :
 2 saepe etiam ignotis ipse dedi requiem.
 3 Quod siquem tituli nihil hujus gratia tangit,
 4 at moveat patria fraude quod hic jaceo.
 5 Sed jaceo, quamvis non vitae, at plenus honorum,
 6 hoc uno ingratus, quod genui, patriae.
 7 Testata est mores lacrimis plebesque patresque :
 8 haec sunt sinceri judicia ingenii.

EPITAPHIUM VITULI ET ASELLAE

EP1_15 v.1 Maerenda Vitulus atque Asella conjuges,
 2 qui morte praeventi mala, nec ille bos
 3 nec illa quivit emori asina. Hoc ex suis
 4 sibi bonis sumpsero, quod vides soli.

DE POETIS LATINIS

EP1_16 v.1 Amor Tibullo, Mars tibi, Maro, debet,
 2 Terentio soccus levis,
 3 cothurnus olim nemini satis multum,
 4 Horatio satira et chelys,
 5 Natura magni versibus Lucretii
 6 lepoore Musaeo illitis,
 7 epigramma cultum, teste Rhallo, adhuc nulli,
 8 docto Catullo syllabae :
 9 hos si quis inter caeteros locat vates,
 10 onerat quam honorat verius.

IN MANCINUM

EP1_17 v.1 Effigiem quaeris, nec vis, Mancine, poetam :
 2 quid, nisi quod comedit nil statua, hic comedit ?

AD NEAERAM

EP1_18 v.1 Sic istos oculos tuos, Neaera,
 2 avertis, quotiens perire me vis,

3 tanquam perdere non queas tuendo :
 4 sed tu ne peream times beatus.
 5 Ne time : ah miser, ah miser peribo !
 6 Sed hoc tam miserum (ut putas) perire,
 7 tuo servitio magis beatum est.

DE NAPE

EP1_19 v.1 Quod Sappho Aoniis decima est soror addita Musis,
 2 inter Pieridas negligit esse Nape
 3 miraturque pati scelus hoc caelestia corda
 4 et sanctum impuro carmine nectar emi.
 5 Usque adeo ne intacta Nape ? Nil spurcius immo est !
 6 Sed certe vati filiola objicitur.

EPITAPHIUM FRANCISCI SFORTIAE

EP1_20 v.1 Si genus audieris, spernes : mirabere gesta.
 2 Illud fortunae est, hoc opus ingenii.

AD NEAERAM

EP1_21 v.1 Has violas atque haec tibi candida lilia mitto :
 2 legi hodie violas, candida lilia heri :
 3 lilia, ut instantis monearis virgo senectae,
 4 tam cito quae lapsis marcida sunt foliis ;
 5 illae, ut vere suo doceant ver carpere vitae,
 6 invida quod miseris tam breve Parca dedit.
 7 Quod si tarda venis, non ver breve, non violas, sed
 8 (proh facinus !) sentes cana rubosque metes.

DE MORTE IANI FRATRIS

EP1_22 v.1 Per Scythiam Bessosque feros, per tela, per hostes
 2 Rhaphaeo venio tristis ab usque gelu,
 3 scilicet exequias tibi producturus inanes,
 4 fraternis unus ne careas lacrimis,
 5 teque peregrina, frater, tellure jacentem
 6 et tua sparsurus fletibus ossa meis,
 7 quandoquidem post tot casus patriaeque domusque
 8 (tanquam hoc exempto nil nocuisset adhuc)
 9 te quoque sors invisa mihi, dulcissime frater,
 10 abstulit, Elysium misit et ante diem,
 11 ne foret aut fletus qui solaretur acerbos
 12 jungeret aut lacrimis fratris et ipse suas.
 13 Heu, miserande puer, quae te mihi fata tulerunt,
 14 cui miseram linquis, frater adempte, domum ?
 15 Tu mea post patriam turbasti pectora solus,
 16 omnia sunt tecum vota sepulta mea,
 17 omnia tecum una tumulo conduntur in isto :
 18 frater abest, fratrem quaeso venire jube !
 19 Cur sine me Elysia felix spatiare sub umbra
 20 inter honoratos nobilis umbra patres ?
 21 Occurrunt Graique atavi proavique Latini :

22 frater abest, fratrem quaeso venire jube !
 23 Hic tibi pallentes violas legit, alter amomum,
 24 narcissum hic, vernas porrigit ille rosas,
 25 attolluntque solo carisque amplexibus haerent :
 26 frater abest, fratrem quaeso venire jube !
 27 Interea, quoniam sic fata inimica tulerunt,
 28 nec mihi te licuit posse cadente mori,
 29 accipe, quos habeo lugubria munera, fletus,
 30 aeternumque, meae, frater, ave, lacrimae !

AD LAURENTIUM PETRI FRANCISCI

EP1_23 v.1 Quod solus, bone Laure, adamas ornasque poetas,
 2 nil mirum est : solus carmine digna facis.

EPITAPHIUM DEIPYLES

EP1_24 v.1 Deipyle jacet hic prima intercepta juventa,
 2 et saecli et sexus gloria rara sui :
 3 quae, dum vita fuit, superos ipsumque Tonantem
 4 torserat, inferno nunc movet arma Jovi.

AD ACCIUM SINCERUM

EP1_25 v.1 Acci, non ego tela, non ego enses,
 2 non incendia pestilentiasve,
 3 non minas vereor ferociorum,
 4 non imbræ, mare, turbines, procellas,
 5 non quaecumque aliis solent nocere,
 6 quae cuncta unius aestimamus assis :
 7 verum tristius his malum puella est,
 8 quae me, cum libuit, potest necare.

DE LEUCOTHOE

EP1_26 v.1 Odit Leucothoe, sed quo plus odit, ego illam
 2 plus pereo. Quid ? Si non ita acerba foret,
 3 blanda minus poterat : hoc in me callida vidit,
 4 et fugit, invitam quo magis ipse velim.

EPITAPHIUM MICHAELIS TARCHANIOTAE AVI MATERNI

EP1_27 v.1 Parce, hospes, cineresque pios ne laede profanus :
 2 si nescis, castis haec loca sola patent.
 3 Nec te privata moveat quod claudor in urna :
 4 haec quoque fortunæ, non mea cura fuit.
 5 Longe, hospes, longe tamen erras, si mea credis
 6 nomina in exiguo tota reposta solo,
 7 quaeque tot ob patriam pugnando vulnera passus,
 8 in cineres tecum versa abiisse leves.
 9 Atque utinam ob patriam tantum, nec dicerer, hospes,
 10 cum patria et natis oppetiisse tribus :
 11 quos ego suprema comites hortatus in hora,

12

vincere dum nequeo, cum patria perii.

AD NEAERAM

EP1_28

v.1

1 Rogas quae mea vita sit, Neaera :
 2 qualem scilicet ipsa das amanti, est :
 3 Infelix, misera, inquies, molesta
 4 aut si triste magis potest quid esse.
 5 Haec est, quam mihi das, Neaera, vitam.
 6 Qui (dicens) comites ? Dolor, Querelae,
 7 Lamentatio, Lacrimae perennes,
 8 Langor, Anxietas, Amaritudo,
 9 aut si triste magis potest quid esse.
 10 Hos tu das comites, Neaera, vitae.

DE ANTONIO PRINCIPE SALERNITANO

EP1_29

v.1

1 Olim rogatus quid sibi relinquaret
 2 tam multa qui cuivis daret,
 3 "Hoc" inquit "ipsum" Antonius, "siquid dedi :
 4 nam caetera haud puto mea."

DE XYSTO

EP1_30

v.1

2 Senserat Ausoniam vix dum bene foedere jungi,
 cum "Perii ! " Xystus dixit, et interiit.

DE THRASYBULO

EP1_31

v.1

2 Cum fugeret civem civis devictus ut hostem,
 3 in patriam sceleris conscius ipse sui,
 4 "State viri ! " Thrasybulus ait. "Victoria vestra est,
 5 nec mihi sed vobis vicimus et patriae."
 6 Dixit, per mediosque ruens ensesque virosque,
 7 parcendum passim civibus ingeminat.

AD ANTONIUM PETRUTIUM

EP1_32

v.1

2 Qui fit, Petruti, ut si quis est mihi visus,
 3 si quem saluto, si cui manum porxi
 4 caputve movi, protinus mare et montes
 5 aut si quid usquam est impudentius jactent
 6 et se patronos offerant vel invito ?
 7 Idem rogati, certa postulat cum res,
 8 mirantur unde tam audiant novum nomen,
 9 nec jam Marullum verba nec sua agnoscant,
 10 homines crepitui quam simillimi ventris,
 11 Pontanus illos ut meus bene appellat.
 12 Tu solus a me cultus unice quicquam
 13 nec polliceris, vana nec mihi jactas,
 14 at, cum videtur postulare res, ultro
 15 imples parentis munus atque agis tecum,
 non ut patronum, sed pium ut decet patrem :

16 nimirum amasque solus et tibi constas.

EPITAPHIUM ALBINAE

EP1_33 v.1 Hic Albina jacet, sed non tamen hic jacet una
 2 Albina (hoc Veneris non tulit ipse puer),
 3 sed tela atque arcus pharetraeque, Cupidinis arma,
 4 quique fuit mollis semper in ore decor.
 5 Spargite humum foliis, verno nec parcite flori :
 6 haec quoque, quae cinis est, flos modo vernus erat.

IN SUPERBIENTEM

EP1_34 v.1 Cum felix regnoque potens videare paterno
 2 inque dies crescat gloria honorque magis,
 3 nec tua majorum titulis concedat imago
 4 et facile ex animo sit tibi cuncta fore,
 5 fastidire tamen victos miserosque caveto
 6 et tua Fortunae regna minora puta.

AD ALEXANDRUM CORTESIUM

EP1_35 v.1 Commendo tibi, Cortesi, Soavum
 2 ipsum non secus ac tuum Marullum :
 3 nanque est nobilis atque litteratus
 4 et, nisi manifesta pernegamus,
 5 urbanus, facilis venustulusque.
 6 Si me diligis (ut facis), Soavum
 7 ipsum dilige, ama, fove adjuvaque.
 8 Dignus est (mihi credito) Soavus
 9 et sodalicio tuo et favore.

EPITAPHIUM SIMONETTAE VESPUTIAE

EP1_36 v.1 Si lacrimis decoranda novis generosa puella est,
 2 haec una est lacrimis condecoranda novis ;
 3 sin deflere nefas tam rarae funera vitae,
 4 haec eadem siccis una adeunda genis.

DE SUO AMORE

EP1_37 v.1 Jactor, dispereo, crucior, trahor huc miser atque huc,
 2 ipse ego jam quis sim nescio aut ubi sim :
 3 tot simul insidiis premor undique : proh dolor ! In me
 4 saevitiae Cypris dat documenta suae.
 5 Saevitiae documenta suae dat, ego hanc tamen unam
 6 depereo, utque nocet, sic libet usque sequi.
 7 Qua siquis miserum solam me liberet horam,
 8 Hic mihi sit Phoebo doctior et melior.

DE AMORE ET MERCURIO

EP1_38 v.1 Forte Jovi dum jactat Amor sua tela, deorum
 2 nuntius ex humero surripuit pharetram.
 3 Sensit Amor fraudes, et "Mene, ignave, lacessis,
 4 cuius", ait , "mentem surripui totiens ? "

EPITAPHIUM PHILIPPI MARULLI AVI PATERNI

EP1_39 v.1 Siste, hospes, atque haec verba, si placet, lege
 2 (neque enim rogamus nisi lubentem quempiam) :
 3 ego Philippus hic Marullus contegor.
 4 Posuit superstes filius Manilius
 5 uxorque Thomae. Hoc satis. Caetera alii :
 6 de se Marullo proloqui ulterius nefas.

IN POSTHUMUM

EP1_40 v.1 Scribis, agis, recitas semper nova, Posthume : quid ni ?
 2 Posthume, crede mihi, quicquid agis, novus es.

AD MARTIAM BOCONTIAM

EP1_41 v.1 Cum sit Acidaliae facies artesque Minervae
 2 et Latonigenae pectora casta deae,
 3 cur tibi Mars tribuit speciosum, Martia, nomen ?
 4 An contra quod me tam fera bella facis ?
 5 Bella facis faciasque licet, tibi dedita servit
 6 mens tamen et duros serviet ad cineres.
 7 Quod si quis misero post funera sensus amori est,
 8 tunc quoque amet vultus ossea forma tuos.

EPITAPHIUM PHOLOES

EP1_42 v.1 Hic choreae cantusque jacent Veneresque jocique :
 2 unius neque enim est hic tumulus Pholoes.
 3 Nam, simulac decimum, necdum bene, venit ad annum,
 4 protinus et raris annumerata fuit :
 5 Mille illam petiere proci, sed mille repulsis
 6 maluit in viduo casta jacere toro
 7 taedarumque expers sine conjugé degere vitam,
 8 libera perpetuo nec dare colla jugo.
 9 Atque ita reste brevi veloque ornata sacerdos
 10 virgineos intrat non diurna focos.
 11 Risit Amor Claralem habitum mentemque puellae,
 12 et leviter "Nostra est haec quoque miles ! " ait.
 13 Nec longum : ardet inops mentis vittasque perosa
 14 sedit sub Maenni conspicienda cavis.
 15 Et tamen antiquusque rigor et nescia amorum
 16 rusticitas animo pristina, ut ante, fuit :
 17 non illam rixae, non lenia murmura amantum
 18 juverunt, medio non vaga lingua joco,
 19 non partes egitve suas lassataque saepe
 20 immoto miserum corpore cepit onus :
 21 donec, rugosa vultus mutante senecta,
 22 vilis amatori visa gravisque suo est.

23 Tum demum faciem et formae mala damna caducae
 24 conqueri et auxilium quaerere ab arte novum :
 25 et modo compositum blanda latus arte movere,
 26 saepe jocis tardos sollicitare viros ;
 27 nunc pariter digitisque loqui nutuque fideli
 28 verbaque de tacitis mutua ferre notis ;
 29 interdum insano Veneris cogente furore,
 30 cum jam flamma tegi non satis apta foret,
 31 dulcia concentu modulari carmina blando
 32 et placida captos ducere ab arte animos ;
 33 aut matronalem verbis mollire rigorem
 34 et precibus castas sollicitare nurus
 35 aut jam mutatos animis conjungere amantes
 36 duraque mellita flectere corda prece.
 37 Quae dum dulcis anus curat, proh tristia fata !
 38 ante diem nigrum per Styga fecit iter ;
 39 flens tamen, ut flentes se circumspexit amicos,
 40 tot defecturo jam dedit ore sonos :
 41 "Eripior, sed vos, dum lux brevis ista, cavete
 42 ne quis iners vitae tempus abire sinat."
 43 Dixit, et in tenues mens aegra evanuit auras :
 44 fleverunt Charites funera, elevit Amor.
 45 Vade, anus egregia : tibi ver, tibi cinnama surgant
 46 et crescat tumulo spica Cilissa tuo !

DE VENERE ET VULCANO

EP1_43 v.1 Maesta Venus rapti casum plorabat Adonis
 2 factaque fulminei vulnera dente suis.
 3 Sensit, et indignans "Quid fles, dea ? " Mulciber inquit,
 4 "Non habet in Martem jus violentus aper."

AD ACCIUM SINCERUM

EP1_44 v.1 Miraris, Acci, cur tacet Linus patrem :
 2 Mater Nape non prodidit.

AD AVITAM

EP1_45 v.1 Quid frustra totiens necas rogando
 2 nec firmum tibi, Avita, nec fidelem,
 3 contentum solito perire amore ?
 4 Non sum cui placeant simul trecentae,
 5 non ego cupio hanc et hanc et illam :
 6 primus ardor et ultimus Neaera est.
 7 Tu, siquid tibi, Avita, cordis usquam est,
 8 si me audis, eadem roga volentem
 9 optantemque, libet rogare quando :
 10 nos uri sine mutuis favillis,
 11 nam miserrimum amare non amantem est.

AD ANTONIUM PRINCIPEM SALERNITANUM

EP1_46 v.1 Quod regni, quod opum, largi quod nominis heres,

2 fortunae, Antoni, non leve munus habes :
 3 at quod perpetui cultor generosus honesti es,
 4 ingenuo debes, quicquid id, ingenio.

DE IACOBO QUARTO APPIANO

EP1_47 v.1 Quartum rogabam leucophaeam mutuam :
 2 donavit ille coccina.
 3 "Non", inquam , "adeo beatus est vates tuus ! "
 4 "Nec tam", ipse respondit, "miser."
 5 At cur rogavi, quam daret, non crederet,
 6 "quod nec dii" ait "credant mihi."
 7 O digna, Quarte, vox tuis virtutibus,
 8 notanda cunctis saeculis,
 9 qui vim deorum principes sequi mones,
 10 quorum vicem inter nos gerunt !

CONSOLATIO AD ANDREAM MATTHAEUM AQUAVIVIUM DE MORTE IULII PATRIS

EP1_48 v.1 Nuntia fama patris ad nos pervenit adempti,
 2 protinus et lacrimas visa novare meas :
 3 nec tua tam, fateor, quam me mala publica tangunt
 4 et subit Hesperii flenda ruina soli.
 5 Occidit Ausonidum vir nulli laude secundus,
 6 sive velis belli seu magis arte togae ;
 7 ille dies primum metuendos reddidit hostes,
 8 et cecidit Latiae gloria militiae.
 9 Vidi ego confusas peditumque equitumque catervas
 10 rorantes oculos vix bene tollere humo,
 11 et modo militiam, modo deplorare Latinum
 12 nomen et erepti jura fidemque ducis,
 13 et voluisse mori, nec te, fortissime Iuli,
 14 amisso vilem continuisse animam.
 15 Quid tibi nunc tot pulsi hostes, tot moenia prosunt
 16 diruta, quid titulis fulcta superba domus,
 17 quid Ligurum devictae acies, quid Gallica signa
 18 partaque pugnaci gloria rara manu ?
 19 Non minus, infestos medius deprensus in hostes,
 20 dum tibi turpe putas cedere mille viris,
 21 occidis, heu, titulis saevi accessurus Achumi :
 22 me miserum, quantum nex dedit una mali !
 23 At pia pro patria, pro dis arisque tuendis,
 24 indueras Latium, dux, caput arma tibi
 25 ultoresque deos jurata in bella trahebas,
 26 si modo sunt curae jusque piumque deis :
 27 sed neque fas neque jura deos mortalia tangunt,
 28 et rapit arbitrio sors fera cuncta suo.
 29 Nam quid prisca fides juvit pietasque Pelasgos ?
 30 Nempe jacent nullo damna levante deo.
 31 Aspice Byzanti quandam gratissima divis
 32 moenia, Romanae nobile gentis opus :
 33 haec quoque jam pridem hostili data praeda furori est,
 34 solaque de tanta gloria gente manet.
 35 Vivit honos, vivunt benefacta virumque labores,
 36 et fugit hostiles fama decusque rogos.
 37 Sic tua longinquum late diffusa per aevum

38 nomina per gentes fama loquetur anus,
 39 certatimque canent docti tua gesta poetae
 40 factaque erunt populis dictaque nota tua :
 41 hic verus virtutis honos, haec digna laborum
 42 praemia magnanimis jure petenda viris.
 43 Parcite paeclarum funus violare querendo :
 44 hostibus eveniant funera lenta meis ;
 45 hostibus eveniat molli tabescere lecto,
 46 amplexus inter femineosque mori !
 47 Arma viros caedesque decent ; quid tempora vitae
 48 natalesque viri connumerare juvat ?
 49 Sat vixit, siquem vitae non paenitet actae :
 50 laudibus et fama longa petenda dies.
 51 Nil magis est certum summa mortalibus hora :
 52 serius aut citius una terenda via est.
 53 Quid fraudare juvat momento temporis aevum ?
 54 Sera licet, nunquam est sera futura dies.
 55 Optima pars vitae supremo ex funere pendet :
 56 felix cuicumque est fas bene posse mori.
 57 Quod si quis casusque hominum seriemque laborum
 58 cogitet et vitae tot mala damna brevis,
 59 jam primos mecum ille ortus, non ultima flenda
 60 tempora mortali sentiet esse viro.
 61 Debita naturae mors est : quid pectora planctu
 62 concutis ? Invidiam parce movere deis.
 63 Parce, precor, Matthaee, modumque impone dolori :
 64 ingenium luctus dedecet iste tuum.
 65 At non sic Tynichusque senex Spartanaque natum
 66 flevit : eris molli mollior ipse nuru ?
 67 Si tibi consultum non is, at consule fratri,
 68 consule amicitiis conjugioque tuo ;
 69 aspice qui populi, quis te circumspicit ordo,
 70 imposita est humeris sarcina quanta tuis.
 71 Sume animos, nec te vaesano trade dolori,
 72 et populis tandem da sua jura tuis ;
 73 da populis sua jura tuis terrisque beatus
 74 vive diu : meruit quae pater astra tenet.

AD NEAERAM

EP1_49 v.1 Non tot Attica mella, littus algas,
 2 montes robora, ver habet colores,
 3 non tot tristis hyems riget pruinis,
 4 autumnus gravidis tumet racemis,
 5 non tot spicula Medicis pharetris,
 6 non tot signa micant tacente nocte,
 7 non tot aequora piscibus natantur,
 8 non aer tot aves habet serenus,
 9 non tot Oceano moventur undae,
 10 non tantus numerus Libyssae arenae :
 11 quot suspiria, quot, Neaera, pro te
 12 vaesanos patior die dolores.

DE EUPHROSYNEA

EP1_50 v.1 Quicquid agit, Veneres agit Euphrosyne ; sed hae me,

2 dispeream, si non disperimunt Veneres.
 3 Nam quotiens video, totiens et pectus et ipsum
 4 cor silet et totus deficio ac pereo.

AD GEMMAM

EP1_51 v.1 Qui dedit Ajaci, Thesidae, Protesilao,
 2 ille dedit nomen, lucida Gemma, tibi.
 3 Nam neque fulgidior neque te formosior ulla est,
 4 quaeque hominum possit corda movere magis.
 5 Jure igitur Gemma es ; quod si tibi displicet illud,
 6 dum dea, vel Pallas vel magis esto Venus.

EPITAPIUM EUPHROSYNES TARCHANIOTAE MATRIS

EP1_52 v.1 "Quaenam hoc in tumulo tegitur matrona ? " "Venustas."
 2 Ille Pudicitiam dixerat : haec eadem est.
 3 "Quod genus ? " "Inachidi". "Generis fortuna ? " "Beata,
 4 sed cecidit patria deficiente sua."
 5 "Quis torus ? " "Unus, et hic felix sine lite Marulli."
 6 "An mater ? " "Seno pignore fecit avum."
 7 "Quae vita ? " "In tenebris." "Quae causa indigna doloris ? "
 8 "Occasus patriae servitiumque grave."
 9 "Ecquem cum patria luxit ? " "Fratresque patremque,
 10 sed quas felices diceret esse animas."
 11 Felices nimirum animae, sed enim haec quoque felix,
 12 femina tam rari pectoris in patriam.

DE NEAERA

EP1_53 v.1 Viderat intactam nuper Venus alma Neaeram,
 2 et puero "Cessant quid tua spicula ? " ait.
 3 Cui deus humentes lacrimis dejectus ocellos,
 4 "Spicula", ait, "mater, quae tenet illa, refers".

AD SODALES

EP1_54 v.1 Laure, Compater, Altili, Elisi, Aeli,
 2 Parde, Phosphore, Rhalle, Zenobi, Acci,
 3 Pontane, unanimi mei sodales :
 4 quam bene est mihi cum mea Thalia,
 5 quam mecum bene rursus est Thaliae !
 6 Ambo dulciculi, venustuli ambo,
 7 ambo lusibus erudituli isdem,
 8 isdem moribus educatuli ambo,
 9 fortunae pariter malignae uterque,
 10 quam neuter tamen aestimat caballi,
 11 ut qui me videt, hanc putet videre.

AD MANILIUM RHALLUM

EP1_55 v.1 Fenerat, et levis Endymion tibi, Rhalle, videtur :
 2 crede mihi, nimis est hic homo, Rhalle, gravis.

DE MNESTHEO

EP1_56 v.1 Matrem rogatus faceret an patrem pluris
 2 Iphicrate satus nobili,
 3 "Matrem", inquit, "haec enim Atticum edidit, Graecus
 4 quem voluerat Thracem pater."

EPITAPHIUM L. CRASSI NEAPOLITANI

EP1_57 v.1 Lustrabas, dum vita fuit, vagus advena terras,
 2 Scilicet antiquae, Crasse, memor patriae :
 3 nunc functus vitaque hominumque laboribus aegris,
 4 protinus in veram rursus abis patriam.

AD NEAERAM

EP1_58 v.1 Juravi fore me tuum perenne,
 2 per me, per caput hoc, per hos ocellos,
 3 qui te disperiere contuendo,
 4 per quod plurima cor tulit dolenda.
 5 "Haec", inquis, "mea sunt, tua ista sunto ! "
 6 At certe lacrimae meae, Neaera,
 7 quas juro fore me tuum perenne.

DE AMORE

EP1_59 v.1 "Quis puer hic ? " "Veneris." "Plenae quae causa pharetræ est ? "
 2 "Non bene provisus certa quod arma movet."
 3 "Cur sine veste deus ? " "Simplex puer odit opertum."
 4 "Unde puer ? " "Pueros quod facit ipse senes."
 5 "Quis pennas humeris dedit ? " "Inconstantia." "Quare
 6 nulla deo frons est ? " "Signa inimica fugit."
 7 "Quae sors eripuit lucem ? " "Immoderata libido."
 8 "Cur macies ? " "Vigilis cura dolorque facit."
 9 "Quis caecum prætit ? " "Ebrietas, Sopor, Otia, Luxus."
 10 "Qui comites ? " "Rixæ, Bella, Odia, Opprobrium."
 11 "Qui caelo dignati ? " "Homines." "Quae causa coegit ? "
 12 "Mitior auctore est credita culpa deo."
 13 Heu, curvum genus et veri corda inscia : quo jus
 14 fasque, scelus miseri si scelere abluimus ?

DE NEAERA

EP1_60 v.1 Mutatum, visa Phorcynide, credite Phineum :
 2 res antiqua, tamen teste probata suo est.
 3 Nec jam vana putet veterum miracula quisquam,
 4 ipse ego cum visa dirigeam domina ;
 5 mens tamen et veteris remanent incendia mentis :
 6 sic etiam Niobe flet lapis in Sipylo.

AD NEAERAM

EP1_61 v.1 Puella mure delicatior Scytha
 2 foliive serici comis
 3 vel educata rure Paestano rosa
 4 vel anseris pluma levi,
 5 eademque duris dura cautibus magis,
 6 quas tundit hibernum mare,
 7 cum nubilosis Africus pennis gravis,
 8 saevit Ligustico sinu :
 9 remitte cor, siquis pudor, mihi meum,
 10 quod mille cepisti dolis
 (dum nunc ocello dulce subrides nigro,
 11 nunc fronte spem certa facis),
 12 quod nunc habes in vinculis quasi Syrum
 13 aut comparatum Sarmatam ;
 14 verum remitte, dura, non ultra tuum :
 15 jam enim rogat melior sibi,
 16 quae nos ocellis diligit suis magis,
 17 neque hoc neque illud imputat.
 18 An tu putabas scilicet firmum tibi
 19 tot barbare affectum modis ?
 20 Quanquam beati centies et amplius,
 21 siquos tenaci compede
 22 quae prima vix dum puberes junxit fides,
 23 eadem extulit pios senes !

AD QUINTILIANUM

EP1_62 v.1 Quod nimium castus liber est nimiumque pudicus,
 2 displicet ; ingenium, Quintiliane, probas.
 3 Gratulor ingenio quantum sinis, heus age, sed dic :
 4 cur tibi non adeo carmina casta placent ?
 5 Casta placent Phoebo, castissima turba sororum est,
 6 casta pios vates Pieriosque decent :
 7 nos quoque casta movent, quamvis distamus ab illis,
 8 et vetat ingenuus verba inhonesta pudor.
 9 Tu licet huc Marsumque feras doctumque Catullum
 10 et quoscumque alios Martia Roma legit,
 11 non tamen efficies, ut Phrynae scribere malim,
 12 quam tibi vel turbae, Laodamia, tuae
 13 (et tamen haec possunt Phrynae quoque grata videri,
 14 illa nisi Phrynae displicitura palam est).
 15 Sit procul a nobis obscaena licentia scripti :
 16 ludimus innocuae carmina mentis opus.
 17 Utque nec arma virum nec magni orientia caeli
 18 signa nec immensum mundi aperimus opus
 19 (quid pluat, unde homines, quae vis maria inficit alta,
 20 an Deus, an Manes, an Phlegethontis aquae),
 21 sic juvat in tenui legem servare pudori
 22 et quae non facimus dicere facta pudet.
 23 Sit satis auratos crines laudare Neaerae,
 24 sit satis in duram multa queri dominam
 25 et facere iratum saevo convicia Amori,
 26 nec nisi de Scythica credere rupe satum :
 27 cetera Thespriadum prohibet chorus. Haec ego : Phoebus
 28 annuit et sanctis ora rigavit aquis.

AD MANILIUM RHALLUM

EP1_63 v.1 Non vides verno variata flore
 2 tecta, non postes viola revinctos ?
 3 Stat coronatis viridis juventus
 4 mixta puellis.
 5 Concinunt Maias pueri Kalendas,
 6 concinunt senes bene feriati :
 7 omnis exultat locus, omnis aetas
 8 laeta renidet.
 9 Ipse, rejectis humero capillis,
 10 candet in palla crocea Cupido,
 11 acer et plena jaculis pharetra,
 12 acer et arcu.
 13 Et modo huc circumvolitans et illuc,
 14 nectit optatas juvenum choreas,
 15 artibus notis alimenta primo
 16 dum parat igni ;
 17 nunc puellaris medius catervae
 18 illius flavum caput illiusque
 19 comit et vultus oculisque laetum
 20 addit honorem.
 21 Mitte vaesanos, bone Rhalle, questus ;
 22 jam sat indulatum patriae ruinae est :
 23 nunc vocat lusus positisque curis
 24 blanda voluptas.
 25 Quid dies omnis miseri querendo
 26 perdimus dati breve tempus aevi ?
 27 Sat mala laeti quoque sorte, caelum hoc
 28 hausimus olim.
 29 Profer huc cadum, puer Hylle, trimum,
 30 cedat et maeror procul et dolores :
 31 tota nimirum Genio mihiique
 32 fulserit haec lux !

LIBER SECUNDUS

EP2_1 v.1 Cum tot vasa, aurum, vestes Fortuna ministret,
 2 haec dare, Laure, tibi, maxima stultitia est.
 3 "Cur igitur vati", dices, "mea carmina mitto ? "
 4 Nempe dare est aliud et celebrare aliud.

AD NEAERAM

EP2_2 v.1 Ignitos quotiens tuos ocellos
 2 in me, vita, moves, repente qualis
 3 cera defluit impotente flamma

4 aut nix vere novo calente sole,
 5 totis artibus effluo, nec ulla
 6 pars nostri subitis vacat favillis ;
 7 tum qualis tenerum caput reflectens
 8 succumbit rosa verna liliumve,
 9 quod dono cupidae datum puellae
 10 furtivis latuit diu papillis,
 11 ad terram genibus feror remissis,
 12 nec mens est mihi nec color superstes
 13 et jam nox oculis oberrat atra :
 14 donec vix gelida refectus unda,
 15 ut quod vulturio jecur resurgit,
 16 assuetis redeam ignibus cremandus.

DE PASIPHAE

EP2_3 v.1 Cum male formosum sequeretur in avia taurum,
 2 sic Venerem contra Gnosia questa feram est :
 3 "Si mihi bos fuerat, dea, vir te dante futurus,
 4 cur non insanae Proetidos ora dabas ? "

AD NEAERAM

EP2_4 v.1 Suaviolum invitae rapio dum, casta Neaera,
 2 imprudens vestris liqui animam in labiis,
 3 exanimusque diu, cum nec per se ipsa rediret
 4 et mora letalis quantulacumque foret,
 5 misi cor quaesitum animam ; sed cor quoque blandis
 6 captum oculis nunquam deinde mihi rediit.
 7 Quod nisi suaviolo flammam quoque, casta Neaera,
 8 hausisset, quae me sustinet exanimum,
 9 ille dies misero, mihi crede, supremus amanti
 10 luxisset, rapui cum tibi suaviolum.

DE MAXIMILIANO CAESARE

EP2_5 v.1 Rex legum jurisque dator placidaeque quietis
 2 ceperat hostili percitus arma dolo ;
 3 jamque truces bello Morinos concusserat acri
 4 et dederat famulas Tabula victus aquas,
 5 cum subito fractosque animi veniamque precantes
 6 non tulit ulterius mens generosa viri
 7 inque fidem et veteris accepit foedera pacis :
 8 nil ultra victus quod dare posset erat !
 9 Quaerenti hostilem gentem cur perdere nollet,
 10 rettulit : "Ut victis parcere saepe queam."

DE FORTITUDINE LACAENAE

EP2_6 v.1 Mater Lacaena conspicata filium
 2 relictus inermem parmula,
 3 progressa contra trajicit ferro latus,
 4 super necatum his increpans :
 5 "Abi hinc, morere, non digna me proles, abi,

6

mentite patriam et genus ! "

EPITAPHIUM AURAE

EP2_7 v.1
"Amorum."

2
3
4
5
6

"Quaenam haec pompa ? " "Aurae." "Quis circum planctus ? "
 "Quae tam lugubri veste adoperta ? " "Charis."
 "Unde rogus ? " "Fracti struxere Cupidinis arcus."
 "Quis simul indigno qui jacet igne ? " "Decor."
 Heu, sortem miserandam hominum : quo fastus inanis ?
 Delicias aevi tam brevis hora tulit.

AD NEAERAM

EP2_8 v.1
2
3
4
5
6
7

Quo te depereo magis magisque,
 odisti magis et magis, Neaera,
 nec te noster amor movet precesque
 nec vides fieri tuo periclo,
 quam necem mihi scilicet minaris.
 Non, non sum meus amplius, Neaera :
 ut jam dispeream, tuus peribo !

AD ANTONIUM PRINCIPEM SALERNITANUM

EP2_9 v.1
2
3
4
5
6

Tanta tua est probitas, cor, virtus, gratia formae,
 ut credam Curium, Nestora, Achillea, Hylam ;
 nec tamen aut Curius quod tu nec Nestor Hylasve est,
 quique suis victor Hectora traxit equis :
 sic modo par unus cunctis, ex omnibus unum
 non potes, ut cupias, deligere ipse parem.

AD POSTHUMUM

EP2_10 v.1
2

Et sapiens et amans vis idem, Posthume, haberi :
 Posthume, vis idem desipere et sapere.

EPITAPHIUM ROBERTI SANCTOSEVERINI PRINCIPIS SALERNITANI

EP2_11 v.1
2
3
4
5
6
7
8

Tu ne hic, Roberte, es ? Te ne haec tegit urna sepultum ?
 An tantum fatis de te etiam licuit ?
 Tecum arma et paces, tecum splendorque decusque
 spesque jacent regni praesidiumque tui ;
 at non et tecum fama est, quae plurima ubique
 vivit et ex ipso funere major adest :
 scilicet haec una est laudum mensura tuarum,
 par tibi, par meritis sola reperta tuis.

AD NEAERAM

EP2_12 v.1
2
3

Donec liber eram, Neaera, nec sic
 tota mollibus haeseras medullis,
 et centum simul hinc et hinc petebant,

4 ipsum quae poterant Jovem movere,
 5 vixi carior omnibus medullis
 6 (nisi jam hoc quoque denegas) tuisque,
 7 qui nunc sic miserum necant, ocellis.
 8 Eheu, tunc ubi fastus iste, ubi irae
 9 et vultus oculique saevientes,
 10 ubi cor prece nescium moveri ?
 11 Nunc captum semel artibus, Neaera,
 12 cum nulla amplius est fugae potestas,
 13 cogis, ah, decies perire in hora,
 14 nec quicquam miseret mei doloris.
 15 Nam quo me referam ? Quis ah, quis, eheu,
 16 ejectum alterius sinu petisset !
 17 Quis, o, adjuvet ? Unde opem rogabo ?
 18 Quis praesto mihi erit, Neaera, si tu
 19 quaeris perdere, quae beare debes ?

EPITAPHIUM LUCIAE PHOEBES

EP2_13 v.1 Lucebas Superis, mea Lucia, lucida Phoebe :
 2 at nunc Persephone tertia regna tenes.

AD AEGLEN

EP2_14 v.1 Sollicitus siquis visus, tibi displicet, Aegle,
 2 segnior, indigni nomen amantis habet ;
 3 Hic, quia non queritur, ficti simulator amoris,
 4 ille dolet, famae causa maligna tuae est ;
 5 qui non magna dedit formosae munera, avarus,
 6 displicet hic donis muneribusque suis.
 7 Non tot, crede mihi, Proteus mutatur in ora :
 8 hei mihi, quam placeam ne prius emoriar !

DE CAECUBO

EP2_15 v.1 Dum vota supplex suscipit Jovi optimo
 2 vultuque recto fundit ad caelum preces,
 3 deos quiete nec sinit frui sua
 4 oculum reposcens Caecubus nepotulo,
 5 volantis ipse stercore e summo alitis
 6 utroque capitur. Nunc suo demum malo
 7 edoctus, optimum Jovem atque omnis deos
 8 caelo reliquit et sibi non amplius
 9 ipsi precatur quos prius nepotulo.

AD FRANCISCUM NINUM SENENSEM

EP2_16 v.1 Quid mirare unos non uno tempore vultus,
 2 nec mea tam multis pectora victa malis ?
 3 Turpe est arbitrio rerum, Francisce, moveri
 4 atque animum dominae supposuisse rotae
 5 exiliisque malis rationem perdere vitae
 6 et sinere incertis certa perire bona.
 7 Non ego vel primus patior vel talia solus :

8 saepe premit magnos ista ruina viros ;
 9 utque parum felix, certe sine crimine dico :
 10 turpior est damno culpa pudenda suo.
 11 Sic pius Aeneas, sic Teucer fugerat olim
 12 et tamen in media vixit uterque fuga,
 13 nec puduit nimio linguam movisse Lyaeo
 14 et madidam sertis implicuisse comam.
 15 O quotiens maestos verbis solatus amicos,
 16 misicut haec dictis ille vel ille suis :
 17 "Dum licet et fas est, vigilaces pellite curas,
 18 o mihi non vana cognita corda fide,
 19 nec vos aut moveant pelagique viaeque labores
 20 aut tangat patrii rustica cura soli :
 21 quicquid ubique viris patria est, nec gloria vobis
 22 tempora desidia perdere cara gravi.
 23 Jam quota pars rerum superat ? Piget ante laborum
 24 ultima perppersos, si leviora premunt.
 25 His quoque finis erit, nec vos sperate perennem,
 26 tam levis in toto quae volat orbe dea."
 27 Dixit, et ingenti largus se proluit auro :
 28 insequitur plausu caetera turba frequens
 29 dulciaque apposito celebrant convivia Baccho
 30 corque deo curas dissoluuntque graves.
 31 Quamvis victus erat, quamvis miserandus et hosti,
 32 squallidus impexis hirta per ora comis
 33 carnifices Mariusque manus et terruit hostem,
 34 victus et est victi victor ab ore ducis ;
 35 nec, mendicato domita Carthagine pane,
 36 magnanimi cecidit spiritus ille viri.
 37 Nos quoque, si magnis fas est componere parva,
 38 omnia quis placida mente tulisse vetat ?
 39 Si lacrimis redimi posset, si patria questu,
 40 arguerer, si non illa redempta foret :
 41 nunc ea conditio gemitu est, ea lex data nostro,
 42 utilis ut nulli sit noceatque mihi.
 43 Sparge, puer, violas et candida lilia... Cessas ?
 44 Lenia fecunda funde Falerna manu.
 45 Ite procul, curae insomnes, procul ite, labores :
 46 quantumcumque mali, si patiare, leve est.

MORTUI PRO PATRIA

EP2_17 v.1 Inachii spes una soli, bis dena, viator,
 2 milia in hoc tumulo cum patria tegimur,
 3 dum natosque patresque, larem patriamque tuemur,
 4 imperioque ducis Tarchanii obsequimur.
 5 Nam rex, indignus patriam qui protegat armis,
 6 turpiter et regnum fugerat et patriam.

DE IOVE ET AMORE

EP2_18 v.1 Lascivum iratus pater objurgabat Amorem.
 2 Huic Amor : "Europen quis, pater, orbis habet ? "

AD AMOREM

EP2_19 v.1 "Cum tot tela die proterve spargas,
 2 tot figas sine fine et hic et illic
 3 infensus pariter viris deisque,
 4 nec unquam manus impotens quiescat,
 5 quis tot spicula, tot, puer, furenti
 6 letales tibi sufficit sagittas ?
 7 Cum tot aethera questibus fatiges,
 8 tot spargas lacrimas et hic et illic
 9 infensus pariter viris deisque,
 10 nec unquam madidae genae serescant,
 11 quis suspiria crebra, quis dolenti
 12 tam longas tibi sufficit querelas ? "
 13 "At tu nec mihi tela, dum Neaera est,
 14 nec curas tibi crede defuturas."

AD IACOBUM QUARTUM APPIANUM

EP2_20 v.1 Miraris quid maesta dies, quid turbidus aether,
 2 cur tegat obscuris nubibus ora dies
 3 incubuitque freto subitis nox atra procellis
 4 et querulum toto murmur in orbe sonat :
 5 digressu dant signa tuo (procul omen abesto !)
 6 teque dolent patria tam procul ire tua.
 7 Hinc liquet et fratri et populo mens quae sit et urbi,
 8 ipsa abitu cum sint mota elementa tuo.

IN CENSORIUM

EP2_21 v.1 Censorius, quod ipse nil agit prorsus
 2 quod optimo non jure debeat carpi,
 3 reprendit unumquemque : sive quis mutit,
 4 seu quis tacet, seu ridet, ore seu maesto est,
 5 reprendit ille ; sive quis dedit quicquam,
 6 sive accipit quis, seu timetve sperative,
 7 seu quis sedet, seu quis deambulat, seu quis
 8 quodcumque qualecumque qualitercumque
 9 ubicumque agit, reprendit : id homini est moris,
 10 si mos vocari tam evidens furor possit.
 11 Atqui, si is esset hic novus Cato noster
 12 quem continentis optimus tenor vitae
 13 sanctique pigra tollerent humo mores,
 14 tamen reprendentem usquequaque quis ferret ?
 15 Nunc impudicus, helluo, vorax, mango,
 16 insulsus, aleo, improbus, salax, leno,
 17 cinaedulorum pessimum omnium fulcrum,
 18 bonos malosque judicat sui oblitus :
 19 o ante nullis cognitum nefas saeclis !

EPITAPHIUM IULII AQUAVIVI

EP2_22 v.1 Quam bene pro patria, Juli, cadis, inclyte, si non
 2 tecum etiam infelix concideret patria !

DE PHYLLIDE

EP2_23 v.1 *Dixerat immitem Venerem, modo Phyllide raptam,
2 Accius, invidiam quae sieratque deae.
3 Huic Amor : "Immitem, quam fles, temerarie, dicas ;
4 nanque eadem Phyllis, quae mea mater, erat."*

IN LINUM

EP2_24 v.1 *Cum possis, Line, conticere, scribis,
2 et tibi veniam petis subinde
3 tanquam durior infacetiorque
4 et scriptor modo factus ex colono :
5 scriptorem, Line, te novum sciebam,
6 nunc primum scio teste te colonum.*

AD PETRAM

EP2_25 v.1 *Et petra es, mea lux, et vere Petra vocaris,
2 et peream si quo nomine digna alio es :
3 non tam quod Parium certas evincere marmor
4 et facies caeli rara videtur opus
5 attritisque nitet corpus magis aequore saxis,
6 litore quae primo casta puella legit,
7 quam quia Caucaseas vincunt tua pectora cautes
8 et quoscumque vides saxea signa facis.
9 Et tamen hic etiam vaesana incendia durant :
10 me miserum, cinerem hoc, non facere est lapidem !*

AD ACCIUM SINCERUM

EP2_26 v.1 *Acci, quid piperi negas cucullos ?
2 Quid scombri meruere, quid siluri ?
3 Quare non sinis hunc et hunc et illum
4 quidvis evomere improbum, infacetum,
5 et thuri dare olivulisque vestem ?
6 Rara, rara avis est bonus poeta,
7 nec omnes tibi possumus placere.
8 An nescis Baviosque Maeviosque ?
9 Omni tempore Caesios habemus :
10 haec licentia pessimis poetis
11 jam pridem, vetus hoc genus veneni est.
12 An tu scilicet hos pati recusas,
13 quos Maro tulit et tulit Catullus ?*

DE IUBILAEO ANTONII PETRUTII

EP2_27 v.1 *Quae modo per terras et longa per aequora vecti
2 quaerebant lasso femina virque pede,
3 ante fores sceleris quicumque piacula sumant ;
4 nec labor : admissi paenituisse sat est.
5 Hoc quoque divini praestat tibi cura Petruti,
6 o felix tanto Parthenopea viro !*

ALEXANDER MAGNUS IN SACRILEGUM

EP2_28 v.1 Dure, quid angusto tumulatum substrahis auro ?
2 Hoc unum domino terra subacta dedit.

DE LAURENTIO MEDICE PETRI FRANCISCI FILIO

EP2_29 v.1 De puero quondam Lauro certasse feruntur
2 Mercurius, Mavors, Juno, Minerva, Venus.
3 Juno dat imperium, Pallas cor, Cypria formam,
4 Mars animos, Maiae filius ingenium.
5 Stant Phoebi arbitrio, Dictynnae Thespiadumque :
6 hic vero major lis alia exoritur.
7 Delius hunc sibi vult : artes largitur honoras ;
8 plectra deae, castum casta Diana animum.
9 Juppiter his aderat : communem censem habendum.
10 Hoc uno avertit jurgia consilio.
11 Nequa tamen solidi puero pars deesset honesti,
12 ipse Pater divum jus dedit, ipse pium.

DE FORTITUDINE BYZANTIAE

EP2_30 v.1 Senserat exanimum mater Byzantia natum,
2 forte facit patriis dum sua sacra deis ;
3 uniusque dolor totam concusserat urbem
4 atque erat in luctu vir mulierque novo.
5 Illa immota diu, postquam stata sacra peregit,
6 respicit adverso pectore vulnus hians
7 impositumque suis juvenem, quae gesserat, armis
8 et madida hostili tela manusque nece.
9 Mox nec scissa comam mater nec territa casu
10 femina, fortuna celsior ipsa sua
11 "Nate," ait, "egregium patriae per saecula nomen,
12 quam non degeneri funere, nate, jaces !
13 Agnosco quae saepe mihi promittere suetus,
14 oraque adhuc hosti pene tremenda tuo.
15 Nunc demum peperisse juvat : dolor omnis abesto !
16 Nunquam ego, te nato, non bene mater ero."

AD MUSAS

EP2_31 v.1 Casta, Pieriae, cohors, puellae,
2 quae Pindi juga, quae tenetis Haemi
3 et quae dulcibus Aonum viretis
4 Permesso premitis comam madentem ;
5 tuque, o, quae Cnidon incolis Paphumque,
6 piscoso dea procreata ponto,
7 quam circumsiliunt Jocusque Amorque
8 et passis Charites comis decentes,
9 cum per Idalium Cytheraque alta
10 aut Colchos Amathuntave Eriosve
11 exerces faciles levis choreas :
12 vos, o, vos totiens deae vocatae,

13 quarum muneris est honor canendi,
 14 fronde cingite myrtea capillum
 15 et chelym date Lesbiumque plectrum,
 16 ac me dente nigro rapacis Orci
 17 ereptum media locate Cirrha,
 18 unde Seribus audiarque Hiberis.

AD NEAERAM

EP2_32 v.1 Haec mandata tibi mitto, formosa Neaera,
 2 quae cuperem praesens aptius ipse loqui ;
 3 sed tamen interea dum mens assuescit amanti
 4 et fiunt justa mollia corda prece,
 5 candida signatis peraratur littera verbis
 6 et peragit nostras conscia charta vices.
 7 Tu modo deposita rugae gravitate molestae,
 8 quicquid id, ingenua perlege fronte, precor ;
 9 perlege, sic faveat castis Venus aurea votis,
 10 sic precibus referas uberiora tuis.
 11 Non ego virgineum venio temerare cubile,
 12 nec formosa magis quam mihi casta places.
 13 Dum potuit tantum Lucretia bella videri,
 14 quem caperet formae munere nemo fuit.
 15 Quid Danaen fecit, nisi turris aenea, caram ?
 16 Nempe quod hic magno visa pudica Jovi est.
 17 Nec bene eras formosa, tamen pia cura mariti
 18 scis tibi quot dederit, Penelopea, procos :
 19 o quotiens aliquis faciem culpavit, at illi
 20 haesit in attonito pectore casta fides,
 21 o quotiens dixit felicem conjuge Ulyxem,
 22 cum foret in toto non bonus ore color !
 23 Tu licet hinc oculis facias, hinc vulnera vultu,
 24 crede mihi, sola es quod proba, sola capis :
 25 rustica dos nimium est simplex in virgine forma,
 26 digna vel aeternis sit licet illa deis.
 27 Sed tamen et castis sunt quae censura remittit,
 28 ulla nec ingenuas lex vetat esse nurus,
 29 utque procax male grata animis, sic rustica laedit :
 30 sit procul, o, procul hinc altera et illa mihi !
 31 Forsitan in cultas decuit rigor iste Sabinas,
 32 cum pavit patrias consul et uxor oves
 33 deque paludigenis surgebat curia cannis,
 34 ilice praetori dante sedile novo :
 35 nos melius sequimur nostri bona commoda saecli
 36 et facilem populum non nisi laeta juvant.
 37 Nupta tamen siqua est duro male juncta marito,
 38 arbitrio vivat conjugis illa sui ;
 39 illa domi lateat fusis addicta severis,
 40 jussa, verecundis abstineatque jocis.
 41 Quis ferat occursu sperati conjugis aegram ?
 42 Discidio facies convenit ista gravi :
 43 Tyndariden Phrygius violentam viderit hospes,
 44 in patriam vidua lintea puppe dabit.
 45 Ah nimium simplex, ne dicam stulta puella,
 46 siqua supercilii dote placere studet !
 47 Quid, quod Amor laetus pharetramque arcumque resumit,
 48 et queritur, questu quae modo laeta fuit ?

49 Parcite tormentis juvenum gaudere, puellae,
 50 parcite : habet magnos justa querela deos.
 51 Neu blandas ridete preces, neu spernite fletus,
 52 neu pigeat nostris ingemuisse malis,
 53 et, quotiens aliquis flendus succurrit amator,
 54 "Parcere Anaxarete", dicite, "acerba monet".
 55 Atque utinam moneat sic ut persuadeat illa,
 56 nec meus ex omni parte laboret Amor !
 57 Sed furit interea fax intima ad ossa medullis,
 58 qualis in Aetnaeo vix solet esse jugo :
 59 nunc ego Rhiphaeas vellem calcare pruinias,
 60 nunc gelidum Tanaim pectore habere meo,
 61 nunc succos ferrumque pati sensuque minutus
 62 stare procelloso litore truncus iners.
 63 An gravis hic etiam Fortunae injuria saevit,
 64 nequando misero non sit acerba mihi ?
 65 Vix bene adhuc fueram matris rude semen in alvo,
 66 cum grave servitium patria victa subit.
 67 Ipse pater, Dymae regnis ejectus avitis,
 68 cogitur Iliadae quaerere tecta Remi :
 69 Hic, ubi Pierio quamvis nutritus in antro,
 70 mille tuli raram damna habitura fidem.
 71 Jamque nigrescebant prima lanugine malae
 72 junctaque erat lustris altera bruma tribus,
 73 cum fato rapiente vagus Scythiamque per altam
 74 auferor et gelidi per loca vasta Getae.
 75 Quid referam interea pelagique viaeque labores
 76 et totiens strictas in mea fata manus
 77 maternosque rogos miserandaque funera fratris,
 78 funera non illo tempore agenda mihi ?
 79 Omnia quae tulimus constanti corde, nec inter
 80 tot mala mens animis concidit ipsa suis.
 81 At cadit, ut semel est arcu male saucia Amoris :
 82 fallimur, an facies est Amor ista mihi ?
 83 Ista mihi certe est facies Amor, inque pudicis
 84 vultibus et tenero qui stat in ore decor ;
 85 nec Colchos regit atque Cypron, sed conditus imis
 86 sensibus in vacuo pectore regna tenet :
 87 ista arcus cilia, ex istis sunt spicula ocellis,
 88 fervida purpureae quid nisi flamma genae ?
 89 O decus, o nostri rarissima gloria saecli,
 90 o desideriis unica cura meis !
 91 His ego quid mirum si sum tibi victus ab armis ?
 92 Pars quota de numero vincere digna fuit ?
 93 Sed tamen arbitrium vitaeque habuisse necisque
 94 est satis, ulterior convenit ira feris.
 95 Non ego dedignor dominae servire potenti :
 96 o ubi libertas nunc prior illa jacet ?
 97 Et vitare fui certus grave nomen amantis,
 98 siqua homini res est certa, vetante deo !
 99 Victus opem precor extremam, miserere precantis :
 100 non sum qui peream dignus amore tui.
 101 Quod nisi Graiugenae sordet tibi taeda mariti,
 102 non equidem conjunx dissimulandus ero.
 103 Prima olim sine more fuit, sine legibus aetas,
 104 quam rudis antiqui, tam male gnara sui ;
 105 inque feris sylvis populus vivebat agrestis,
 106 glande cibum, molles cespite dante toros.

107 In nucibus pecudes, nucibusque armenta notabant :
 108 rarus adhuc digitos qui numeraret erat.
 109 Prima rudes hominum formavit Graecia mentes
 eloquii blandis viribus usa sui,
 111 prima cava circumvallavit moenia fossa,
 112 prima vagis patriam certaque tecta dedit,
 113 prima artes commenta bonas : hac vita magistra
 edidicit leges, hac data jura pati,
 115 hac duce caelestes divum conscendimus arces,
 116 hac duce naturae sancta adaperta via est.
 117 Quid, quod priscorum repeatas si facta parentum,
 118 haec quoque, qua nata es, Inachis ora fuit ?
 119 Nam quid ego Etruscos memorem pubemque Sabinam
 et quae pars olim Graecia major erat ?
 120 Ipsa caput rerum quondam pulcherrima Roma
 (certa fides) Graeis condita gaudet avis.
 121 Nec te terruerit peregrini nomen inane :
 122 crede mihi, nulla est terra aliena viro ;
 123 et, quanquam mihi regna et opes Fortuna paternas
 124 abstulit, est proprio sanguine partus honos,
 125 divitiaeque animo frugi et satis ampla domi res,
 126 si qua velit parto mens moderata frui.
 127 Quid, quod sive animi petitur constantia certi,
 128 sive magis simplex et sine fraude fides,
 129 seu bello manus apta, bonae seu pectora paci,
 130 tempus ad hoc nullos degeneramus avos ?
 131 Nam genus et veterum praeconia nota parentum
 132 vix ausim nostris annumerare bonis :
 133 et tamen est aliquid proavos habuisse Marullos,
 134 quos totiens tulerit Martia Roma duces.
 135 Scilicet est olim vis rerum in semine certa
 136 et referunt animos singula quaeque patrum,
 137 nec leporem canis Aemathius timidamve columbam
 138 notus Hyperboreo falco sub axe creat.
 139 Nam tua quod supplexque petam connubia et ultro,
 140 non ideo nostrum sperne superba torum :
 141 me quoque nobilium natae petiere virorum,
 142 dignae opibus, facie dignae atavisque peti ;
 143 et nunc cum dicar sine te non vivere posse,
 144 invenies cupiat quae tamen esse mea.
 145 Sed vetat hoc decor iste tuus mellitaque verba
 146 et magis Alpina pectora cana nive,
 147 quaeque micant passos subter bona colla capillos,
 148 quale sub aurata candet ebur statua ;
 149 hoc vetat Idaliusque puer materque Dione,
 150 et qui jam pridem me tibi donat Hymen.
 151 Tu modo tot contra divos pugnare puella
 152 desine (non tutum est cedere nolle deis !)
 153 totque meis olim tandem exorata querelis,
 154 conjugis in caros labere, nympha, sinus.
 155 "Sed nimium properas", dices, "cum messis in herba est".
 156 Me miserum ! Properat nemo in amore satis.
 157 Crede mihi, non est meus hic qui torpeat ignis ;
 158 nam potes ex vultu tu quoque nosse meo,
 159 cum nunc ora rubor subitus notat et modo rursum
 160 pallet purpureo sanguine cassa cutis
 161 et nunc desinimus mediis sermonibus et nunc
 maesta repentinias aggravat unda genas.

165 Quod nisi quam primum misero succurris amori,
 166 auxilio frustra postmodo lenta venis.
 167 Si tamen est mora cur placeat, dum civicus ensis
 168 saevit et ultrices excitat ira manus,
 169 nec fas in tanto rerum patriaeque periclo est
 170 conjugiis civi posse vacare novis,
 171 at potes interea verbis lenire dolorem
 172 multaque colloquio demere damna tuo
 173 solarique animum et praesens relevare jacentem :
 174 si nescis, pietas conjugis ista probae est.
 175 Tunc ego jurabo sanctissima numina divum
 176 (numina non ullo tempore laesa mihi)
 177 meque meis dictis astringam in foedera quaevis,
 178 parte sit ut nulla non rata nostra fides ;
 179 tunc tibi dictatis faciam sponsalia verbis
 180 et te consulta vir tibi juris ero :
 181 tu modo, si quis amor, nostri si pectore cura est,
 182 parce mora, conjunx, perdere velle virum.

IN LIBELLUM INFACETUM

EP2_33 v.1 Salve, nec lepido libelle versu
 2 nec lingua facili nec ore docto
 3 nec sana satis eruditione,
 4 missa longior eloquente Magni,
 5 nec rudi melior poeta et ipso
 6 infacetior infaceto agello :
 7 ten putat, rogo, quispiam disertum ?
 8 Tu te infers numero peritiorum ?
 9 Et cessas, miser, emori, Marulle ?

AD MARCUM BARBUM CARDINALEM SANCTI MARCI

EP2_34 v.1 Creta, Asia, Illyricum, Lybie, Germania, Parthus,
 2 multorum ut nomen, sic quoque praeda virum est :
 3 at Spes atque Metus incertaque Gaudia rerum
 4 concedunt animis non nisi, Marce, tuis.
 5 Haec est, haec virtute tua victoria digna,
 6 quae te fortunae, Marce, facit dominum.

AD BARABAM

EP2_35 v.1 Et Venus est uxor et tu claudusque faberque :
 2 si dederis Martem, Mulciber es, Baraba.

EPITAPHIUM MANILII MARULLI PATRIS

EP2_36 v.1 Flens primum has auras hausi puer omine diro,
 2 flebilis erepta vita fuit patria,
 3 nunc quoque flens morior nequid non flebile restet :
 4 haec est humani conditio generis.

DE VENERE ET MAXIMILIANO CAESARE

EP2_37 v.1 Dum neque Gradivum neque vult dimittere Adonin
 2 diversique unam Marsque puerque trahunt,
 3 incidunt in mentem Caesar : tunc prosilit amens
 4 Cypris, et "Hic nobis", dixit, "utrumque dabit ! "
 5 Dixit, et injectis hederae de more lacertis,
 6 mille dat amplexus, oscula mille viro.
 7 At Mars "Vincor", ait, "sed certe vincor ab illo,
 8 armatum vinci qui prius edocuit."

EPITAPHIUM ALCINI INFANTIS

EP2_38 v.1 Alcinus hic jaceo, moesti posuere parentes :
 2 hoc pretium vitae est atque puerperii.

AD NEAERAM

EP2_39 v.1 Moris erat sceptris teneras arcere puellas
 2 et mollem curis exonerare animum,
 3 nec vel consilio rebusve admittere agendis,
 4 sed tantum lanis esse putare satas ;
 5 multarumque (nefas !) vitium sceleraverat omnis,
 6 nec nisi naturae femina crimen erat.
 7 At nunc tantus honos nuribus, reverentia tanta est,
 8 tanta pudicitiae consiliique fides,
 9 ut jam nemo sibi, mulieri speret ademptum,
 10 et cedat victus pene virilis honos,
 11 blanda nec incertos suspendant vota parentes,
 12 cum sat jam matri sit peperisse hominem :
 13 sic quas tot vitia et tam longum infecerat aevum,
 14 unius laus et gloria condecorat.

AD NEAERAM

EP2_40 v.1 Vesanos quotiens tibi furores
 2 atque ignes paro, quos moves, referre
 3 et quantus deus ossibus pererret,
 4 qui me nocte die necat, Neaera,
 5 et vox et sonus et parata verba
 6 desunt tum mihi linguaque ipsa torpet
 7 et vix sustineor genu labante :
 8 maerent pectora perque membra passim
 9 perque artus fluor it repente salsus
 10 et diem subitae occupant tenebrae,
 11 nec quicquam nisi lacrimae supersunt,
 12 quae mutae quoque opem precantur unae.

DE VENERE

EP2_41 v.1 Aurea Mulciberum nato Venus arma rogabat,
 2 immemor huic nato facta sit unde parens.
 3 Ingemuit deus inviso sub nomine, et illi :
 4 "Cur non Anchisae, diva, rogas potius ? "

DE SALADINO

EP2_42 v.1 Litore dum Phario prima Saladinus in alga
 2 barbara devicto castra Oriente locat,
 3 venit adulatrix (regum comes unica) turba,
 4 e quibus ut lingua promptior unus erat,
 5 nunc domitam Aegyptum jactat, nunc litora rubra
 6 fractaque pugnaci Gallica sceptrum manu,
 7 ostentatque virum duris tot milia in armis
 8 et jubet hinc vires aestimet ipse suas.
 9 "Scilicet hinc,", ille, "atque adeo ex hac", infit, "arena,
 10 quae te semiustum litore, Magne, tenet."

EPITAPHIUM FEDERICI URBINATIS

EP2_43 v.1 Invictus potui, nisi mors vicisset, haberি :
 2 haec quoque non vicit, sed potius soluit.

AD NEAERAM

EP2_44 v.1 Cum tu candida sis magis ligustro,
 2 quis genas minio, Neaera, tinxit ?
 3 Quis labella tibi notavit ostro ?
 4 Unde sunt capiti aurei capilli ?
 5 Quis superciliī nigravit arcum ?
 6 Quis faces oculis dedit potentes ?
 7 O quies animi laboriosa !
 8 O labor nimium mihi quiete !
 9 O amarities petita votis,
 10 qua mori sine amem volens lubensque !

IN CAESARIANUM

EP2_45 v.1 Quod tibi tam multus Caesar dictator in ore est,
 2 ignosco : laudas, vir bone, quem sequeris.
 3 At Cato non hastam, non dictatoria regna,
 4 non probat infamem consulem adulteriis,
 5 non tot opes ventre aut patrimonia pene vorata,
 6 non edicta foro lata, nocente manu,
 7 non fas unius versum ambitione nefasque,
 8 non casus tantarum urbium avaritia,
 9 non Bibulo toto factum nil consule in anno,
 10 non pro divitiis tot patriae aera data.
 11 Miramur tamen arma viri, miramur acumen :
 12 rex quoque miratus tabuit haec eadem.

DE MORTE ORPHEI

EP2_46 v.1 Orphea dum miseranda parens tumularet ademptum
 2 tactaque melliflui cerneret ora viri,
 3 "At tu, nate, facis", dixit, "praeconia divis :
 4 quid nisi damnatus fulmine et Enceladus ? "

DE AMORE

EP2_47 v.1 Spreverat Idalium rerum plebs indiga numen
 2 jamque puer Veneris cesserat urbe fame :
 3 ergo boves jungit curvoque innixus aratro
 4 pinguia ruricolae suscitat arva modo.
 5 Semina restabat terrae dare : semina dantem
 6 non expectatis obruit Auster aquis.
 7 Ille irae impatiens, "Agedum omnia, Juppiter," inquit,
 8 "sterne, neca : enecto tu bove taurus eris."

AD NEAERAM

EP2_48 v.1 Quod levis ima pedum verrit vestigia crinis,
 2 quod sedet in niveo discolor ore rubor,
 3 quod colla et Parium vincentia pectora marmor,
 4 quod dens Gaetuli nobile dentis opus,
 5 quod digni imperio vultus, quod tantus honorae
 6 frontis honos, Paphiae quod labra verna rosae,
 7 quod micat urbanus generoso risus ocello,
 8 quod, quicquid dicis seu facis, omne decet
 9 (adde genus regesque atavos fratresque patremque
 10 et congesta deum regnaque opesque manu),
 11 non tamen ista tuae fuerint praeconia laudis :
 12 sunt majora quibus, lux mea, rara venis :
 13 ingenium sollersque animi prudentia rerum
 14 pectoraque in tenera virgine digna viro,
 15 et decor et probitas contra tua saecula et artes
 16 fessaque virgineis Calliopea choris.
 17 Fortunata animi tot dotibus : haec bona vera,
 18 haec tua sunt, fati caetera dona brevis.

AD PATRIAM

EP2_49 v.1 Terrarum ocelle, patria, ocelle gentium,
 2 quascumque curru eburneo
 3 laboriosae metiens iter rotae,
 4 lucis creator Sol videt :
 5 quam te cadaver flebile aspicio miser,
 6 vix ipse adhuc credens mihi
 7 oculis videre caelitum tantum nefas !
 8 O miserum et infelix genus,
 9 quo decidit fortuna gentis pristina ?
 10 Tu ne illa domina gentium,
 11 quam tot tyranni, tot duces, tot oppida,
 12 tot nationes efferae
 13 ab usque Bactris ultimisque Gadibus
 14 flexo precabantur genu ?
 15 Jam jam nihil non fragile sub caelo, nihil
 16 non percaducum gentibus :
 17 Sors cuncta versat aequa et impotens hera
 18 nullo beata termino,
 19 nec fas piumque sontibus fatis moram
 20 affert et instabili rotae.

21 Felix tamen, quae morte sensu perdito
 22 semel deos passa es graves,
 23 infanda casus damna nec sentis tui.
 24 O surda Mors precantibus,
 25 an tu quoque irae quos premunt deum fugis,
 26 ne quis refugio ultra locus ?
 27 I, dura, vade, fuge : tamen lacrimae et dolor
 28 quos tu recusas finient.

LIBER TERTIUS

EP3_1 v.1 Quod tua longinquum diffundo nomina in aevum
 2 et sine te crescit pagina nulla mihi,
 3 non hoc tu nobis debes, bone Laure, sed aetas
 4 postera et exemplis saecla renata tuis :
 5 macte vir ingenio, quem nil nisi vivida virtus
 6 tangit et ex vero gloria vera bono.

DE LIVORE ET NEAERA

EP3_2 v.1 Dum nuper nitidos Neaerae ocellos
 2 spectat semianimis dolore Livor
 3 (et nunc purpureas genas puellae
 4 miratur, modo tortulos capillos,
 5 modo colla, manus modo nitentes,
 6 modo brachiolum lacertulosque,
 7 modo compositum latus decenter,
 8 modo artus Scythicis pares pruinis,
 9 modo os nectare dulcius, modo illa,
 10 quae me disperimunt, perita verba),
 11 ad me versus (ut aeger assidebam)
 12 "Quem", dixit, "laqueum mihi parasset,
 13 si tibi magis haec foret benigna ! "

AD MAXIMILIANUM CAESAREM

EP3_3 v.1 Qualiter in medio tuta rate navita portu,
 2 hesternae adhuc hyemis memor,
 3 nunc intexta cavae vestigat pinea puppis,
 4 modo carinam examinat,
 5 nunc ligat antemnas, nunc collocat ordine remos,
 6 oculisque lustrat singula,
 7 non aliter quam si rapientibus aequora ventis
 8 jam nunc minax hiet fretum ;
 9 et quamvis positum placidus mare spondeat aer,
 10 hic se procellae praeparat :
 11 sic, ubi Fortunae vindex gravis aspra per arma
 12 tutatus es patrium decus
 13 totque dolos contra sola virtute renixus

14 regnare docuisti deos ;
 15 post patriam larga donatam ubicumque quiete
 16 Hunnosque tandem non graves
 17 atque hinc exutos atque illinc finibus hostes,
 18 dotale qua regnum patet,
 19 ipse tamen duris aptas accommoda bellis
 20 civesque, Caesar, excitas,
 21 et nunc per ludum exploras aptissima quondam
 22 robora duellis fortibus,
 23 nunc pulchrae accendis patriam virtutis amore,
 24 positis merenti praemiis,
 25 civilesque manus longa assuetudine firmas,
 26 qua majus in terris nihil,
 27 providus et sapiens vitare instantia bella
 28 bellis parato robore :
 29 macte, pater, merito, patriae, virtutibus istis,
 30 quo sospite omnibus est bene.

DE ALEXANDRA SCALA BARTHOLOMÆI SCALAE FILIA

EP3_4 v.1 Auxerat Aonias Sappho, dea facta, sorores,
 2 et poteras numero cedere, Roma, novo,
 3 dulcia cum Scalæ miratus carmina Apollo,
 4 dixit : "Habes numerum tu quoque, Roma, tuum."

DE DEMETRIO CHALCONDYLO

EP3_5 v.1 Dum ver Hymettium diu
 2 nequicquam apis quaerit vaga,
 3 in os sacrum Chalcondyli
 4 et labra suaviflua incidens,
 5 "Heus" inquit, "aequales bonae,
 6 huc, huc adeste sedulae :
 7 Matrem videtis Attida."

HOMERUS

EP3_6 v.1 Vane, quid affectas patriam mihi dicere terram
 2 metirisque hominum condicione deos ?
 3 Non me Smyrna creat, non me Colophonica tellus,
 4 non Pylos, aequoreis non Chios icta minis,
 5 non Ithace, prænobile equis non Argos alendis,
 6 non quae de dominae nomine dicta deae est,
 7 non Salamis, non clara suo Rhodos aurea Phœbo,
 8 aut Ios aut Pharæ fertilis ora soli.
 9 Mortalis sunt ista viri : me lucidus aether
 10 parturit, enatum terra fretumque colunt.

AD IOANNEM PICUM

EP3_7 v.1 Pice, deliciae novem sororum,
 2 qui secreta patrum recludis antra
 3 et novissima comparando primis
 4 cogis tam varios idem sonare :

5 quid me versiculis tuis lacessis,
 6 nunc vultus nitidae meae puellae,
 7 nunc mirantibus aureos capillos
 8 et quae non tua sunt, scelestes, colla ?
 9 An quod divitiis tumes paternis
 10 atque ista tetrica tua Minerva,
 11 in nostros tibi jus putas amores ?
 12 Atqui non ita : nam feros per enses
 13 et meum latus haec tibi petenda est.
 14 Quod ni desinis esse jam molestus
 15 et tandem sceleris piget cupiti,
 16 non cum nescio quo Platone faxo
 17 et tectis hominum solo favillis,
 18 sed mecum tibi senties agi rem,
 19 qui verbis nequeam tribus moveri.

DE LAODAMIA ET PROTESILAO

EP3_8 v.1 Dum fugit amplexus evanida conjugis umbra
 2 osculaque ab Stygiis usque petita vadis,
 3 "Quo sine me", inquit, "amans ? Non est ratis ima puellis
 4 clausa : satis, satis, o, sola relictta semel ! "
 5 Dixit, et in mediis subito collapsa querelis,
 6 magnanimo comes it Laodamia viro.

AD GEMMAM

EP3_9 v.1 Quod facias nil, Gemma, tuus mihi questus Haletes.
 2 En, jubet et conjux : quid, rogo, Gemma, negas ?

DE LAUDIBUS SENAE

EP3_10 v.1 Mater nobilium nurum,
 2 antiqui soboles Remi,
 3 Sena, deliciae Italae,
 4 seu libet positum loci
 5 convallesque beatas
 6 tot circumriguis aquis,
 7 seu ver conspicere annum
 8 nativisque rosariis
 9 semper purpureum solum
 10 et colles viridantes.
 11 Nam quid dicam operum manus
 12 aut tot ditia marmora ?
 13 Quid spirantia signa tot
 14 passim ? Quid fora ? Quid vias ?
 15 Quid deum sacra templa ?
 16 Adde publica civium
 17 jura parque jugum et pares
 18 cunctis imperii vices,
 19 adde tot populorum opes,
 20 tot parentia late
 21 oppida, adde virum ingenia,
 22 adde artes, nec inhospita
 23 corda Pieridum choris.
 24 O vere soboles Remi,

25 digna nomine, digna
 26 urbs tantis titulis patrum :
 27 te concordia, te bona
 28 Pax alat, famis et minarum
 29 immunem, tibi defluat
 30 flavis Brandus arenis !

IN ECNOMUM

EP3_11 v.1 Oarionem pro Erigone citat Ecnomus : unde ?
 2 Non facit ad mores virgo, sed Oarion.

DE MAXIMILIANO CAESARE

EP3_12 v.1 Cum modo pacatis devicta per oppida ripis
 2 laetus in aequoreas curreret Ister aquas,
 3 et modo surgentes operoso ex marmore villas
 4 arvaeque non una passim habitata domo,
 5 nunc impressa solo tot miraretur aratra,
 6 nuper ubi saevis lustra fuere lupis,
 7 cunctaque laetitia et blanda resonantia pace,
 8 hic illuc chorea luxuriante levi :
 9 postquam operis causam didicit te, maxime Caesar,
 10 "His", ait, "his manibus sceptrta regenda mea."

DE DANTE ALIGERO

EP3_13 v.1 "Quis sacer hic, Erato, vates, dic, aurea." "Dantes
 2 Aliger." "At vocis quod genus et numeri ? "
 3 "Vox patria illa ; viro numeros sine nomine nuper
 4 miserat auctoris Sicilis Aetna sui."
 5 "Materiam nunc ede." "Animarum horrenda piacla,
 6 quodque iter ad Superos, ad Styga quodque ferat."
 7 "Unde domo ? " "Veterem agnoscit Florentia alumnum."
 8 "Ecquae tot merces dotibus ? " "Exilium."
 9 Heu sortem indignam et virtutibus invida saecla,
 10 quamvis, cui virtus contigit, et patria est !

DE CYDONE ELIENSI

EP3_14 v.1 Sero deorum jam tenentem altaria,
 2 rebus tyrannum perditis
 3 Cydo assecutus, "Quam", inquit, "ex voto hoc quoque,
 4 Dis patriis juvantibus :
 5 ut liberatae patriae potissimum
 6 hac vota solvam victima ! "
 7 Dixit, sacrisque maximum invocans Jovem,
 8 transverberat pectus nocens.

AD BARTHOLOMAEUM SCALAM

EP3_15 v.1 Cum Musae tibi debeant Latinae
 2 tot juncto pede scripta, tot soluto,

3 tot sales Latio lepore tintos,
 4 tot cultis documenta sub figuris,
 5 tot volumina patriae dicata,
 6 quae nulli taceant diu minores,
 7 tot praetoria jura, tot curules,
 8 tot fasces proprio labore partos,
 9 plus multo tamen, o beate amice, est,
 10 quod Scalam Latio pater dedisti
 11 aucturam numerum novem sororum
 12 casto carmine, castiore vita.

EPITAPHIUM LAURAE COMITAE

EP3_16 v.1 Has lacrimas tibi, Laura, damus tristissima dona,
 2 sed tamen, heu, maestis debita funeribus,
 3 funeribusque tuis et nostro, Laura, dolori,
 4 nulla licet mutae gratia sit cineri.
 5 Heu, ubi flos ille oris ? Ubi decor ? Abstulit, heheu,
 6 abstulit, in cineres et dedit hora nocens ;
 7 at non et nostras lacrimas dedit : accipe amantis
 8 quod superest : lacrimas accipe, acerba cinis !
 9 Hic animum sensusque meos tibi, Laura, sacramus,
 10 qua licet extinctam nunc quaque parte sequar.

DE VICTORIA FERDINANDI REGIS HISPANIARUM

EP3_17 v.1 Quis mihi annosum propere Falernum
 2 ingerit ? Multa quis humum colorat
 3 splendidus rosa ? Procul omnis esto
 4 cura dolorque !
 5 Hic dies nota meliore dignus
 6 leniet longas patriae querelas,
 7 dum juvat gravem merita catena
 8 dicere Malcen,
 9 teque sublimem niveis quadrigis
 10 ferre votivis pia thura templis,
 11 sancte rex, claudente latus beata
 12 conjugе sacrum.
 13 Macti avis, macti ditione, macti
 14 tot feris late populis subactis,
 15 digne vir sponsa mulierque tanto
 16 digna marito !

AD ELENCHUM

EP3_18 v.1 Felix elenche (sive tu Rubri venis
 2 civis profundi sive qua ditis freti
 3 extrema fessum Circium Tethys videt),
 4 qui tam remotis hospes ex oris vagus
 5 pendes puellae candido e collo meae,
 6 unde et volucris patriae dites rogos
 7 spernis, potentis desidens herae sinu,
 8 et multodoras Indiae messes tuae.
 9 Sed, sive fatis hoc tibi stabat deum
 10 sive hoc secunda sorte movisti pedem,

11 dic, o beate, effare, dic, felix, age,
 12 ecquid pudico mane cum levat toro
 13 vultus nitentis, patrium agnoscis jubar
 14 Indosque solos jam negas diem dare ?

IN ECNOMUM

EP3_19 v.1 Foedus es aspectu (quid ni ?) Tam dispare ocello,
 2 verum idem lingua foedior et gravior ;
 3 si tamen ingenium spectas, foedissima mens est :
 4 o tot inauditis obrute flagitiis !

AD AMOREM

EP3_20 v.1 Quo me, saeve, rapis, puer,
 2 intermissa diu bella iterum movens,
 3 et truces renovas minas
 4 nec gnarae precibus nec lacrimis virum
 5 ullis cedere Martiae !
 6 Atqui tempus erat servitio gravi
 7 lassum solvere jam latus
 8 et finem miseris ponere questibus,
 9 nec rursum facibus novis
 10 vexare immeritos post Glycerae rogos
 11 donandum rude debita.
 12 Quod si nec subitum discidium Cloes
 13 nec durus Glycerae cinis,
 14 quae tandem lacrimis finis erit meis ?

DE SE ET COSMO PACTIO

EP3_21 v.1 Pulchre convenit optimis amicis,
 2 Marullo profugoque Pactioque.
 3 Nec mirum : pariles ruinae utrisque,
 4 urbana altera et illa Fesulana,
 5 confectae resident, nec elevantur :
 6 insontes pariter, miselli utriusque
 7 uno in exilio, educatuli ambo,
 8 non hic quam ille minus vorax amari,
 9 concordes comites novem sororum.
 10 Pulchre convenit optimis amicis.

DE AENEA

EP3_22 v.1 Cum ferret medios proles Cytherea per hostes
 2 impositi collo languida membra patris,
 3 "Parcite," ait, "Danai ! levis est sene gloria rapto,
 4 at non erepto gloria patre levis".

DE STATUA BRUTI HEDERA CIRCUNDATA

EP3_23 v.1 Quid servitutis dexteram immunem gravis
 2 hederae coherces vis mala ?

3 An esse Bruti quam tenes nescis manum,
 4 nunc quoque tyrannidi asperam,
 5 quamvis jam et ipsae sylvae et invia nemora
 6 partes sequimini Caesarum ?

DE NEAERAE ABSENTIA

EP3_24 v.1 Invisus mihi Janus adest, absente Neaera :
 2 ite procul, lusus blanditiaeque leves :
 3 convenient lacrimae tot suspirantibus aegrae
 4 aptaque singultu tristia verba meo.
 5 Quod tamen in me unum est, cor tecum animusque, Neaera, est,
 6 absentem quamvis sors procul atra tenet.

IN OLLUM

EP3_25 v.1 Graecari quod luctor ais, quod carmina pango,
 2 num Romanaris, quaeso, quod, Olle, fugis ?

AD NEAERAM

EP3_26 v.1 Quo, quo, dura (tibi, Neaera, dico),
 2 olim praesidium meum decusque ?
 3 An me tu quoque jam facis caballi ?
 4 Nam cui, cui jam hominum est fides habenda ?
 5 Certe tu mea cura, tu voluptas,
 6 per te non grave erat domo carere,
 7 quae nunc tot miserum in malis relinquis
 8 et nostris frueris superba damnis.
 9 Quod si te mea nec fides, Neaera,
 10 nec suspiria nec movent querelae,
 11 at spera Nemesim deam potentem,
 12 quae poenas animi istius reposcet.

IN ECNOMUM

EP3_27 v.1 Lingere carbatinas vult Vection Ecnomus, ipse
 2 ut possit trepidas lingere cercolipas.

DE URNA IN USUM FONTIS VERSA

EP3_28 v.1 Tu, quicumque meo fontem de marmore sumis,
 2 parce, precor, cineri (sum vetus urna) pio :
 3 vertit in hos usus gelidi rudis accola fontis,
 4 nescius, ah, quantum susciperet sceleris.
 5 At tu non meritos manes veneratus in urna,
 6 hinc quoque tot rerum disce hominumque vices.

IN ECNOMUM

EP3_29 v.1 Quidam Pelasgos jure questus est suo
 2 carere "inepti" nomine,

3 sed id Pelasgum maxima, hercle, injuria,
 4 quis nullus Arpinas foret :
 5 ut doctus, ut vir, ut probus, mille ut alia,
 6 si quaeris, id denique genus.
 7 Nam Pulcianos ut Latinus quispiam
 8 rudes, scelestos, improbos,
 9 peculiari sic nomine dixerit et meus
 10 [LACUNE]

DE ANDREA LAMPONIANI

EP3_30 v.1 Dum forte Aemathiis Virtus Romana parentat
 2 manibus et lacrimis pelluit ossa pia,
 3 Lamponianidae miseras nex perculit aures
 4 et subito sensus dirigere gelu.
 5 Mox tamen ipsa sui non immemor allevat artus,
 6 utque dedit caris annua justa rogis,
 7 "Brutorum Cassique", inquit, "monumenta, valete,
 8 quaeque meis longum fletibus herba vires :
 9 nos alio revocant nova funera sanctaque nati
 10 sparsa per indignas, hei mihi, membra vias.
 11 Scilicet haec eventa mihi Fortuna reservat,
 12 sic quoque sed certe jura tuenda meis."

AD TABELLAM

EP3_31 v.1 Parva, sed nimium tabella felix,
 2 quae vultus dominae refers cupitos
 3 et nunquam mihi dura, acerba nunquam,
 4 fronte nescio quid nus serena :
 5 ut te conspicio libens et ora
 6 mille Amoribus aucta Gratiisque
 7 agnosco ! Ut genulas meae puellae,
 8 ut caros libet intueri ocellos,
 9 quos dari cuperet sibi Dione !
 10 En cape, en violasque cinnamumque
 11 et mixtas casiae rosas rubentis :
 12 cape olim tibi destinata serta,
 13 quae vides lacrimis madere nostris.
 14 Tu suspiria longa, tu dolentis
 15 posthac accipies graves querelas
 16 et praesens poteris videre flentem,
 17 quem nec mensa juvat petita frustra
 18 nec somnus tegit aut quies ocellos.
 19 At vos interea, labella cara,
 20 an est cur ego pressa non resugo
 21 et centum fero basiationes ?
 22 Sed quis tam subitus refusit ignis ?
 23 Quae te fax, bona, corripit, tabella ?
 24 Nosco incendia dura, nosco flamas,
 25 quas de pectore convomo aestuanti :
 26 mea isthaec, mea culpa ; ego scelestus,
 27 qui te dum temere osculis fatigo
 28 et juncto juvat ore commorari,
 29 saevo pectoris halitu perussi.

DE XYSTO ET HEREDE

EP3_32 v.1 Exhausit Xystus bellis et caedibus urbem :
2 tercentena heres restituit sobole.

IN POSTHUMUM

EP3_33 v.1 Quid involato nectis ex auro grave,
2 inepte, collum, Posthume ?
3 Hoc est fateri crimen, hoc palam tibi est
4 laqueum ominari debitum.

EPITAPHIUM ANNIBALIS

EP3_34 v.1 "Cujus hic est tumulus ? Quae tu, rogo, et unde verendas
2 tunsa genas, crinem sic laniata sedes ? "
3 "Annibalis cinerem sacrum aspicis ; ast ego Enyo
4 fata viri et casus hic queror immeritos,
5 quem, Roma devicta, odio invidiaque suorum
6 tam procul a Lybia terra Libissa tegit :
7 non tamen, Annibalis opera nisi et ense superbo,
8 Annibalem potuit perdere Parca nocens."

AD AMOREM

EP3_35 v.1 Si caelum patria est, puer, beatum,
2 si vere peperit Venus benigna,
3 si nectar tibi Massicum ministrat,
4 si sancta ambrosia est cibus petitus,
5 quid noctes habitas diesque mecum ?
6 Quid victum face supplicemque aduris ?
7 Quid longam lacrimis sitim repellis ?
8 Quid nostrae dape pasceris medullae ?
9 O vere rabidum genus ferarum !
10 O domo Styge patriaque digne !
11 Jam levis sumus umbra : quid lacessis ?

AD AMOREM

EP3_36 v.1 Sancte, qui Memphin, puer, Eriosque
2 temperas colles et amoena Cypri
3 rura lascivis viola perenni
4 grata Napaeis :
5 te cano prolem genitoris Aethrae,
6 aureae prolem Veneris potentem,
7 nobilem flammis et habente certa
8 tela pharetra ;
9 cuius et tellus et aquae verendum
10 nomen atque aer veneratur ipse,
11 acre cui paret nigra vulneranti
12 aula tyranni.
13 Quin et hiberna Lycia suisque
14 Cynthius Delphis genitor relictis,

15 candidum Admeti pecus et juvencos
 16 pavit heriles,
 17 cum sub umbroso recubans salicto,
 18 immemor laudum patrii triumphi,
 19 flevit immitis leviore plectro
 20 damna sagittae.
 21 Nam quid aut vasti genus acre ponti
 22 prosequar cete tibi perdomata
 23 aut in arentis Lybiae leones
 24 finibus ictos ?
 25 Te canit ramo residens virenti
 26 Daulias mater, tibi tollit atrox
 27 sibilum serpens fera, te jubente
 28 regia conjunx
 29 per juga et montes vacuosque saltus
 30 errat albenti placitura tauro
 31 et studet duri thalamis juvenci
 32 digna videri.

DE EXILIO SUO

EP3_37 v.1 Quid juvat hostiles totiens fugisse catenas
 2 atque animam fatis eripuisse suis ?
 3 Non ut cognati restarem sanguinis unus
 4 crudelis patriae qui superesse velim,
 5 nec quia non animus lucis contemptor abunde est
 6 et velit exilium vertere posse nece,
 7 sed ne progenies servire antiqua Marulli
 8 cogerer indigno tractus ab hoste puer.
 9 Si procul a patria Scythico deprensus in orbe,
 10 heu facinus, Bessi jussa superba fero
 11 imperiumque ferox patior dominumque potentem,
 12 nec nisi libertas nomen inane mea est,
 13 utilius fuerat duro servire tyranno
 14 cumque mea patria cuncta dolenda pati.
 15 Est aliquid cineres et tot monumenta suorum
 16 cernere et imperiis imperia aucta patrum
 17 natalique frui, superest dum spiritus, aura,
 18 nec procul externis ludibrium esse locis :
 19 scilicet exuitur generis decus omne domusque,
 20 cum semel ignotam presseris exul humum,
 21 nec jam nobilitas nec avum generosa propago
 22 aut juvat antiquis fulta domus titulis.
 23 At certe, patriae quondam dum regna manebant,
 24 hospitio totus, qua patet orbis, erat.
 25 Tunc, ah, tunc animam pueri exhalare senesque
 26 debuimus, tantis nec superesse malis ;
 27 tunc patrii meminisse animi et virtutis avitae
 28 inque necem pulchris vulneribus ruere,
 29 nec libertatem patrio nisi Marte tueri :
 30 haec via quaerendae certa salutis erat.
 31 O pereat numerum primus qui fecit in armis :
 32 quantulacumque sat est, dum modo certa manus ;
 33 quantulacumque sat est, patriis ubi miles in armis
 34 saevit et adversum non timet ire globos,
 35 et modo conjugium, modo pignora cara domusque
 36 excitat, effoeti nunc pia cura patris.

37 Quis furor est patriam vallatam hostilibus armis
 38 tutantem externis credere velle viris
 39 ignotaque manu confundere civica signa
 40 et sua non Graecis tela putare satis ?
 41 Ille, ille hostis erat, ille expugnabat Achivos
 42 miles et eversas diripiebat opes,
 43 ille deos et fana malis dabat ignibus, ille
 44 Romanum in Turcas transtulit imperium :
 45 nec nobis tam fata deum, quam culpa luenda est
 46 mensque parum prudens consiliumque ducis.
 47 Hanc igitur miseri luimus longumque luemus,
 48 dum nos Euxinus et lacrimae minuant.

IN POSTHUMUM

EP3_38 v.1 Omnia cum facias, miraris cur facias nil :
 2 Posthume, rem solam qui facit, ille facit.

IN ECNOMUM

EP3_39 v.1 Quid separatam, vane, supernas, rogo,
 2 alnum Catulli nobilem,
 3 plebi otiosae scilicet risum parans,
 4 oblitus ut soles pedis ?

DE AUTOLEMO

EP3_40 v.1 Dixerat Autolemo flammas consultus aruspex
 2 die cavendas postero :
 3 credidit, et rerum dubius de mane sub amnis
 4 delituit Etrusci vadis.
 5 Sed neque sic fatum effugit : nam, dum innatat Arno,
 6 ictus crematur fulmine.

AD ALEXANDRAM SCALAM

EP3_41 v.1 Cum versu referas novem sorores,
 2 vix lustris bene adhuc tribus peractis ;
 3 cum dulci sale seriisque blandis
 4 ipsum jam superes, puella, patrem,
 5 quo nihil gravius facetiusque est ;
 6 cum nec sit tibi forma nec modestae
 7 frontis gratia nec decor nec ipse
 8 suggestus nimii decens capilli
 9 qui possit nisi caelitus videri :
 10 quid mirum, mea Scala, si decembri
 11 reddis debita messibus futuris,
 12 si mittis mediis rosas pruinis,
 13 natura bene quo voles sequente ?

DE SPE ET NEMESI

EP3_42 v.1 "Quaenam haec, tam semper quae laeta est ? " "Optima rerum,

2 Spes bona." "Quae lateri juncta ? " "Potens Nemesis."
 3 "Dux magis, an comes est ? " "Vindex magis." "Unde duabus
 4 templa eadem ? " "Speres ne nisi quod liceat."

DE ARISTOMENE

EP3_43 v.1 Viderat armatas uni dare terga cohortes
 2 Juppiter et Martem credidit esse suum.
 3 Mox, ut Aristomenes notis procul agnitus armis
 4 et fulsit volucris auxiliaris apex,
 5 " Macte," ait, "o juvenis, si te mea bella tulissent,
 6 non alia caelum tunc equisset ope."

AD AMOREM

EP3_44 v.1 Quid tantum lacrimis meis proterve
 2 insultas, puer, et semel jacentis
 3 nequicquam in tenuem furis favillam ?
 4 Non sum, non ego, quem putas Marullum :
 5 jam pridem occidit ille, nec superstes
 6 carae discidium tulit Neaerae,
 7 quae nunc tot fluviis procul locisque
 8 illum nominat, ut ferunt, et illum
 9 suspirat lacrimis dies et horas,
 10 nequicquam profugum vocans maritum.
 11 Ah, ne tu quoque nos, puella, perde :
 12 sat, o sat miseri sumus superque !
 13 Quid demens laceras genas ? Quid ora ?
 14 Jam parce aureolis, precor, capillis ;
 15 si nescis, meus est, Neaera, sanguis,
 16 istos quae lacrimae rigant ocellos.
 17 Quod siqua est tibi cura adhuc Marulli
 18 necdum perditus usquequaque in aevum est,
 19 in te, lux mea, parcere huic memento.

IN ECNOMUM

EP3_45 v.1 Posse negas dici "melos", facunde poeta,
 2 atque adeo picas "nectar" ais "canere",
 3 scilicet huc studio curaque trahente fideli
 4 nequando placitum nectar ab ore cadat.
 5 Sed neque divinus male Homerus <epon cecinisse>,
 6 nec, nisi qui laudat, nectar, inepte, canit.

DE APOLLINE ET ANTONIO SQUARCELUPPO

EP3_46 v.1 Olim superbus Pane devicto, Rhodum
 2 qui temperat Phoebus suam,
 3 Tmoli canebat judicis sententiam
 4 jussumque cedere Arcada,
 5 cum Squarceluppi voce perculsus nova
 6 ingemuit ad cannas viri,
 7 vicesque rerum questus, "Heu, vici deos,
 8 nunc cedo", ait, "mortalibus".

AD MANILIUM RHALLUM

EP3_47 v.1 Malli, nec tepidi grata Favonii
 2 spirat temperies nec vagus Adria
 3 secura patitur currere navitam
 4 pinu perpetua fide ;
 5 non omnis tenui gutture per dies
 6 integrat volucris carmina Daulias,
 7 non semper rosa, non lilia vestiunt
 8 aut flos terram hyacinthinus.
 9 Nos, Malli, quoque sat, nos quoque sat diu
 10 insignes patria viximus et domo :
 11 quid mirum, exilio dura per omnia
 12 si rerum patimur vices ?
 13 Sic Croesum miseris fata potentia
 14 demersere modis, sic Priamus senex
 15 supplex Iliadum questibus ultimis
 16 raptatum petit Hectora,
 17 sic pastor, neque adhuc gnarus originis,
 18 tot reges Latius subruit incola,
 19 quaerendus simili nenia et ipse mox,
 20 annis cuncta trahentibus.
 21 Qui scis an melior nos manet exitus ?
 22 Vivendum est lare quocumque libet deis,
 23 quamvis auspice ego Caesare nec larem
 24 despero patrium mihi.

IN EUMELONEM

EP3_48 v.1 Indignos vita putat Eumelo, quandoquidem illam
 2 et flammis totiens et gladio objicimus ;
 3 sed magis indignus hac Eumelo, fanda nefanda
 4 qui patitur, vitam ne gladio objiciat.

DE HIRUNDINE

EP3_49 v.1 Quid vaga tot terras urbesque emensa volucris,
 2 Colchidos in saevo nidificas gremio
 3 pignoribusque tuis credis male sana fidelem,
 4 ipsa suos partus quae laniavit atrox,
 5 ni fetus exosa tuos, Pandione nata,
 6 Phasiaca quaeris perdere saevitia ?

IN ECNOMUM

EP3_50 v.1 Huc huc, maligna, verte : quo frustra fugis,
 2 vix hoste viso, vipera,
 3 et jam tenenti frigidam tarde objicis
 4 seram, hostibus fossam velut,
 5 ceu praestet, inter ipse quos nosti mero
 6 fregisse noctes improbas ?
 7 Quid, quod Pelasgum nomen et patriae decus
 8 sub voce mordes "Graeculi",

9 quasi Pulciana tesqua fodientem patrem
 10 laqueosve fratribus noxios ?
 11 Quin quicquid usquam est pestis innatae evome,
 12 deprensus in Psylli manu,
 13 qua tot Latinos principes linguae viros
 14 ausus lacessere, tot meos.
 15 Agedum, evome, inquam : jam ne sentis sacrum, iners,
 16 sonum et parata verbera ?
 17 Rumpere ! Quid circumspicis frustra ? Moras
 18 quid nectis, obscaenum caput ?
 19 Adeste iambi, rapite, caedite, trahite
 20 (sed supplices tendit manus :
 21 bene habet, vomit : proh, quae lues ! Verumtamen
 22 non nisi timenda inertibus).

DE AGESILAO

EP3_51 v.1 "Nuntia magnanimi, volucris, Jovis, ede : quid urnae
 2 invicti rostro cudis Agesilai ? "
 3 "Ipsa inter volucres quantum caput effero, tantum
 4 mortales omnis cedere Agesilao."

DE LAURENTIO MEDICE PETRI FRANCISCI FILIO

EP3_52 v.1 Felix ingenii, felix et gratiae opumque,
 2 laurus et antiquis non leve nomen avis,
 3 quaerenti cuidam num plura his optet, "Ut", inquit,
 4 "et prodesse queam pluribus et cupiam".

DE MAXIMILIANO CAESARE

EP3_53 v.1 O felix nimium dies,
 2 vere digne mihi Threicia nota,
 3 tandem sospite Caesare,
 4 qui flexo veluti victima poplite
 5 pene conciderat modo
 6 tincturus gladios sanguine civicos,
 7 ni motus prece publica
 8 fecisset facinus Juppiter irritum.
 9 Heu, nil cautum homini satis :
 10 nam, quid tela virum, quid miseri Adriae
 11 vitamus freta turbida
 12 autumnosque graves feribus annuis,
 13 si pejora manent domi
 14 et non tuta suo regia Caesari est ?
 15 Quam prope et Pudor et Fides
 16 momento periit nudaque Veritas,
 17 quam prope Ingenii vigor
 18 Virtutisque capax dextera splendidiae !
 19 O saltem his superi malis
 20 contenti, facili dehinc ope sospitent
 21 tandem vindice dextera
 22 purgantem juvenem tot Nemeis sola,
 23 tot praesepibus efferis
 24 humano saturis sanguine jam diu !

LIBER QUARTUS

E4_1 v.1 Quartus hic est tibi promissus, bone Laure, libellus,
 2 ultima tam brevibus cura futura jocis :
 3 qui tamen, exiguus quamvis minique librique est,
 4 exiguus forsan non erit ingenii.

DE NEAERA

E4_2 v.1 Tota es candida, tota munda, tota
 2 succi plenula, tota mollicella,
 3 tota nequitiaeque amorque, tota
 4 elegantula, tota delicata,
 5 tota mel, mea vita, sacharumque
 6 et tota Assyrii Indicique odores.
 7 At sunt qui tamen hanc negent amandam,
 8 Martellusque meus Resorbolusque :
 9 quid, si idem aut oculos negent amandos
 10 aut siquid magis est amandum ocellis ?
 11 O viros lepidos parum ac molestos !

DE DAPHNE ET APOLLINE

E4_3 v.1 Tuta suis monstris et jam nova laurea Daphne,
 2 sic quoque amatori sed tamen aspra deo,
 3 "Nunc", ait, "exulta, ramos complexus inanes :
 4 ut tua sim, conjunx non ero nempe tua."

AD ALEXANDRAM SCALAM

E4_4 v.1 Felix sorte patris boni,
 2 sed multo magis et corporis egregi
 3 dote et Pieridum sacris,
 4 quas non, Scala, modo plurium inutili,
 5 sed morum pariter duces
 6 et culti sequeris carminis arbitras,
 7 hoc Sappho melior mea,
 8 cuius facta domi dictaque plurima
 9 praestans ingenium inquinant.
 10 Nam quo tantus amor Castalii chori,
 11 si nec lingua pudentior
 12 cultu nec melior vita scientia est
 13 exemplaque Aganippidum,
 14 olim quas ideo provida virgines
 15 sanxit relligio patrum
 16 non visu faciles, non aditu deas,

17 nempe nulla quibus fora
 18 aut coetus hominum contribuit levis,
 19 sed curis vacuum nemus
 20 et spelaea pigro roscida frigore,
 21 culpae materia procul ?
 22 Ergo non epulis magnanimi patris
 23 adsunt aut temere aureae
 24 docta fila lyrae sollicitant manu :
 25 ipse dux Patareus chori
 26 jussas saepe deum dicere proelia
 27 et Coeum Aenaria gravem,
 28 coram matre licet, vix iterum audiet.
 29 Nam de Pallade mentio
 30 si quando orta, probant caetera, sed neque
 31 currus et galeas neque
 32 tot pugnata probant proelia virginis,
 33 multoque aptius autumant
 34 versari in calathis feminam inertibus.
 35 Quorum judicio gravi
 36 accedis teneris tu quoque ab unguibus,
 37 non aut divitiarum egens
 38 aut morum, male quos saecula perferunt,
 39 sed felix vacui ingeni
 40 secessu tacito et pectoris artibus,
 41 integris animi bonis,
 42 quae non ulla potest eripere aut dare
 43 Fati injuria saeviens.
 44 Ergo tempus erit, cum tua nomina,
 45 cum mores tremulae senes
 46 natabus referent multaque pars nurum
 47 serae ad lumina taedulæ
 48 hoc sermone graves decipient manus ;
 49 forsitan et patrum origine
 50 confusa ac generis legitima nota
 51 saecli ambagibus inviis,
 52 aut Phœbo genitam aut magnanimo Jove,
 53 Musarumque ferent chori
 54 unam saecla virum te quoque postera.

EPITAPHIUM TELESILLÆ

E4_5 v.1 Si patriam, patria est Argos, si nomina quaeris
 2 scire, Telesillæ nobile nomen erat ;
 3 at, si artes animosque, vetat pudor hiscere de me,
 4 Musa sed has, dicent hos Lacedaemonii :
 5 nam, quamvis pudeat Sparten cessisse puellæ,
 6 vera tamen fari mos Lacedaemoniis.

AD IOANNEM LASCAREM

E4_6 v.1 Jane, vatis amor tui,
 2 unus qui patria tam procul a domo
 3 secessu frueris tamen
 4 et contentus humo vivis in hospita :
 5 felix, quem neque turbidi
 6 bellorum strepitus nec creperæ vices

7 terrent et gravis alea
 8 Fortunae indocilis stare loco diu,
 9 sed sacri medius chori
 10 Musarum, facili pectore despicis
 11 prave quae populus nocens
 12 miramur, neque voto neque ponere
 13 aegrис gnari animis modum
 14 et res flagitiis solvere non suis.
 15 Nam quae tam fera pestilens,
 16 quam non ingenio vincimus improbi ?
 17 Vel pictas referas licet
 18 tigres vel Lybicae immane jecur leae,
 19 inter se probe obambulant,
 20 nec praedae, nisi dum pulsa abeat fames,
 21 naturale malum, incubant.
 22 In diversa furor scilicet omnibus :
 23 soli mutua vulnera
 24 exercemus, atrox soli odium in genus,
 25 indignoque cupidine
 26 caeci, jura pii sanguinis, heu, modis
 27 turbamus miseri omnibus.
 28 Ergo Ixioneis conditionibus
 29 versati assidua rota,
 30 pertusa laticem quaerimus amphora
 31 frustra, quatenus improba
 32 mentis cura eadem tempus in ultimum
 33 imis pectoribus manet,
 34 aeque certa foris, certa domi comes,
 35 nec, quae olim veteres pii
 36 commenti lacubus sub Stygis ultimae
 37 cuncta extrema merentibus,
 38 sentimus miseri nos mala perpeti.
 39 Nam quid, quaeso, aliud jecurve
 40 obscenaeque nigri vulturii dapes
 41 aut saxum capiti imminens
 42 impuro et mediis fluminibus sitis,
 43 quam congesta pecunia
 44 forsan deteriori et tituli graves
 45 mentis non satiabilis,
 46 pendentis dubiae de studio levi
 47 plebis usque Quiritium ?
 48 Haec certissima uti sunt, ita nos quoque
 49 fatemur, bone Lascares
 50 (nam quis lucidum eat inficias diem ?),
 51 acres sed catuli velut
 52 latratam semel aut ursam Erymanthino in
 53 jugo aut multiparam suem,
 54 sectamur soliti quae noceant mala,
 55 donec (sed prius Herculis
 56 olim quos memorat fama laboribus
 57 infracti) gladio hostico
 58 solvamus misera haec membra anima gravi.

IN QUENDAM

E4_7 v.1 Cum tibi non tacto statuas ex hoste trophyaeum,
 2 miraris saevam cur abit in Nemesim ?

AD MODESTUM

E4_8 v.1 Quod nomen titulis novi sepulchri
 2 Quinteri renovas tui, Modeste,
 3 rem facis, mihi crede, dignam amico,
 4 te dignam : quid enim fidesque amorque,
 5 quid, pars altera pectoris, sodales,
 6 si damus cineri ferenda cuncta,
 7 nec vivi nisi commodique amamur ?
 8 Hoc est pectoris ingenique amici,
 9 ubi olim quoque vivimus sepulti
 10 et nigris stat honos suus favillis.
 11 Quare perge, Modeste, quaeso, perge,
 12 quem vivum modo amasti, amare ademptum,
 13 nec parce studiove sumptibusve,
 14 exemplum memori futurus aevo :
 15 nam qui non amat ossa, non amabat.

AD PAULAM

E4_9 v.1 Dura prius cunctis, uni mihi, Paula, benigna,
 2 unde aliis facta es blanda, inimica mihi ?
 3 Crede mihi, fingas licet omnia, jam mihi pridem
 4 nota es, nunc vero nota quoque es populo.

DE QUARTO ET ANU

E4_10 v.1 Quartum rogata cur anus salvum velit,
 2 "Pejora", dixit, "horreo".

AD BAPTISTAM FERAM

E4_11 v.1 Jam aestas torrida tertium
 2 aestatisque parens flava redit Ceres,
 3 cincta concava tempora
 4 fecundae segetis muneribus sacris,
 5 ex quo perditus occidi
 6 avulsus dominae, Fera, meae sinu,
 7 cujus vel Styge naufragus
 8 obtutu poteram reddier unico,
 9 cum per tot nemora interim,
 10 tot sylvas vagus et sicubi pervia
 11 unis antra patent feris,
 12 nequicquam mihi me subripio miser.
 13 Nam quaecumque oculis patent,
 14 illic continuo vultus et aurei
 15 occursat capitis decor,
 16 et quae nec fugere est lumina nec pati.
 17 Ipsa robora habent genas
 18 oris purpurei et pectora eburnea,
 19 ipsa sibila frondium
 20 carum nomen, et agnosco sub amnibus
 21 responsantis herae sonum,

22 tam diversa locis quam regio tenet.
 23 Olim fabulam ego impiis
 24 terrendis stimulos rebar et asperas
 25 ultricum Eumenidum faces,
 26 sed prorsus nihil est usque adeo leve,
 27 quod non sensibus intimis
 28 admissum moveat sede animum sua.

EPITAPHIUM CONSTANTIAE BENTIVOLAE

E4_12 v.1 Bentivola hoc tumulo est Constantia, si modo inanes
 2 Bentivolae cineres Bentivolam esse damus.
 3 Sed quota Bentivolae pars hic cinis et pigra moles,
 4 quae, Mors, ex illa sola tegis tumulo ?
 5 Nam pudor et, quae ipsa est, artes et vivida honesti
 6 cura tenent meritis astra parata suis.

AD FAUNUM

E4_13 v.1 Sylvarum nemorumque Faune cultor,
 2 unus Naiadum timor sororum,
 3 seu parant posita lavare veste
 4 lascivum vitreis latus sub undis,
 5 seu molli recreare membra somno,
 6 ilex sicubi amica et alta fagus
 7 excludunt radios potentiores :
 8 unam, Faune, meam cave lacessas,
 9 unam, inquam, mihi cariorem ocellis.
 10 Quae sit, forsitan, aut ubi, requiris :
 11 quam cernes medianam novem sororum
 12 nec voce impare nec decore formae,
 13 concentu fluvios morantem Etruscos
 14 ducentemque novo lepore sylvas,
 15 mellita comitante dicta Suada,
 16 hanc unam, precor, o benigne, castus
 17 castam praetereas et integellus,
 18 aversis oculisque vultibusque,
 19 siquando acciderit tibi videnda ;
 20 nam timet mea Scala non latere,
 21 neu nos fraude mala deus lacessas.
 22 Sic Nais tibi amica, sic Diana
 23 mitis dextera et irritae sagittae
 24 sectanti comitum choros suarum !

IN QUENDAM

E4_14 v.1 Et vere et belle te nullum decipere inquis :
 2 neminem enim, cunctos fallere, decipere est.

IN ECNOMUM

E4_15 v.1 "Dic aliquem sodes, dic, Ecnome, quaeso, colorem."
 2 "Haeremus almis occupati legibus."
 3 "Quid de legatis falcidia, dic age, sancit ? "

4 "Sophiam magistri, jura non exponimus."
 5 "Ecquid stare potest sola virtute beatus ? "
 6 "Virtutem inertem omitte, naturam inspice."
 7 "Cur raro Arctois bacchantur fulmina lucis ? "
 8 "Atqui libellos novimus, non fulmina."
 9 "Quos, agedum, si fas, quos, Ecnome, quaeso, libellos ? "
 10 "Medicos, peritos siderum et id alios genus."
 11 "Fas ne paroxysmi febrem curare diebus ? "
 12 "Ego ne valens de febribus verbum loquar ? "
 13 "Num licet infaustos signorum avertere cursus ? "
 14 "Quin, his relictis, ad studia vetera redi ! "
 15 "Incipe, sic capiti semper pater adsit Iacchus ! "
 16 "Non, Daphni, matutinus redis huc neve alius."
 17 "Atqui non pes hic, non, Ecnome, sermo Latinus."
 18 "Abi, homo, minuta haec sernimus docti viri."

DE BILIOOTTO ASTROLOGO

E4_16 v.1 Dum cavet astrologus perituris sidera amicis,
 2 dum sibi boletos non cavet, ipse perit.

DE LAUDIBUS RHACUSAE

E4_17 v.1 Rhacusa, multis gens Epidauria,
 2 Sicana pubes pluribus, at mihi,
 3 ut nomen incertum genusque,
 4 grande soli decus urbiumque
 5 quascumque longus subluit Adria :
 6 quo te merentem carmine prosequar,
 7 non falsus aut somno petita
 8 materia, sine teste, inani ?
 9 Amica quandam dulcis, ubi puer
 10 primas querelas et miseri exsili
 11 lamenta de tristi profudi
 12 pectore non inimicus hospes :
 13 hinc me locorum vis rapit aspera
 14 evicta cultu saxaque mollibus
 15 servire Phaeacum viretis
 16 jussa virum docili labore
 17 et cuncta Cressa vite nitentia,
 18 qua longa Sercus brachia porrigit,
 19 objectus hibernis pruinis,
 20 et Boream populis tuetur ;
 21 hinc tuta passim sponte deum freta
 22 litusque foetum portubus et bonis
 23 gens laeta convectis utroque
 24 limine flammiferentis astri ;
 25 hinc ipsa muro moenia duplici
 26 educta caelo (pars licet altera
 27 natura et abrupti superbit
 28 rupibus aeriis profundi),
 29 complexa portus mole Cyclopea
 30 urbisque quantas divitias neque
 31 mater Syracusae tulere
 32 nec gemino mare dives Isthmos :
 33 etsi ista (quanquam maxima, nec nisi

34 concessa raris munere caelitum)
 35 virtutis et laudum tuarum
 36 vera loqui quota pars volenti,
 37 cum morem et urbis saepe animo sacra
 38 tot jura mecum cogito, cum decus
 39 pulchramque libertatem avorum
 40 perpetua serie retentam
 41 interque Turcas et Venetum asperum
 42 et inquietae regna Neapolis,
 43 vix qualis Aetneo profundo
 44 unda freti natat aestuosi ?
 45 Heu, quae suetum nec patitur jugum
 46 nec, si carendum sit, ferat otium,
 47 incerta votorum suisque
 48 exitio totiens futura !
 49 Nam quae remotis usque adeo jacet
 50 gens ulla terris, quod mare tam procul
 51 ignotum acerbis Appulorum
 52 exiliis Calabrumque cladi ?
 53 Non his beati quaeritur artibus
 54 quies honesti, non bona strenuae
 55 virtutis et frugi parata
 56 regna domi populique pace !
 57 Sed haec silenti non patiens amor :
 58 tu vero coepitis artibus, optima,
 59 rem auge decusque et nationum,
 60 ut merita es, caput usque vive.

AD ALEXANDRAM SCALAM

E4_18 v.1 Quod tam tota decens formosaque, tota venusta,
 2 rara quidem, sed non unica, Scala mea, es.
 3 At quod casta decens, at quod formosa pudica,
 4 dispeream si non unica, Scala mea, es.
 5 Nam, cum Pieridum reproto commercia sacra,
 6 jam non ulterius unica, Scala : dea es.

DE PHILIPPO DUCE BURGUNDIAE

E4_19 v.1 Olim cum Maries audisset morte Philippum
 2 matrem vocantem "Patria ! ",
 3 "Nate", ait "et patriae mox idem altorque paterque,
 4 quid nomine erras tam pio ?
 5 Nec tibi me praeter genitrix et, Caesare salvo,
 6 lugere cuiquam ingens nefas."

EPITAPHIUM BRACCI PERUSINI

E4_20 v.1 Braccius hic situs est : quaeris genus actaque : utrumque
 2 ni teneas dicto nomine, nil teneas.

AD SOMNUM

E4_21 v.1 Somne, pax animi quiesque lassi,

2 curarum fuga, Somne, saevientum,
 3 unus qui recreas fovesque saecla,
 4 idem regibus et popello inertis :
 5 ecquid, Somne pater, meremur uni,
 6 cur nos vel fugias adire prorsus
 7 vel, si quando venis, graves dolorem,
 8 usque saevior aspriorque amanti ?
 9 An non scilicet est satis, maligne,
 10 quod vivi domina caremus, eheu,
 11 necdum pectus iners ferimus ense,
 12 ni tu nos quoque, Somne, territando
 13 tot horrentibus eneces figuris ?
 14 Nam nunc dente ferae petita iniquo
 15 frustra poscere opem, modo videtur
 16 nostris exanimis jacere in ulnis ;
 17 nunc, aut montibus aviis relictis
 18 aut sylvis, lacrimis replere cuncta ;
 19 nunc, vasti maris obrui procellis,
 20 aut ultro mediae insiliare flammea
 21 tandem duritiem execrans priorem,
 22 aut ferro dare pectus hauriendum.
 23 Quae si, Somne, diu putas ferenda,
 24 nescis, ah, nimias faces Amoris
 25 et quid certa fides queat mariti,
 26 nescis quam miseris molesta vita est,
 27 quae laetis quoque saepe finienda.

DE MATHIA CORVINO REGE UNGARIAE

E4_22 v.1 Legibus imperioque aucto bellique domique,
 2 vix reliquis laudi jam locus ullus erat ;
 3 at, postquam Aonidum studia accessere benigna,
 4 "Ulterius", dixi, "nil dare cura potest".
 5 Ulterius das ipse tamen, crescenteque passim
 6 plebe nova, e proprio tecta domosque paras.
 7 Sic ope, sancte, tua, patriae pater, undique leges
 8 crescunt, regna, artes, plebs nova, tecta nova.

EPITAPHIUM MARIAE MARTELLAE BRACCI FILIAE

E4_23 v.1 Hoc Maria in tumulo Bracci jacet : et putat, eheu,
 2 esse aliquis curae saecla hominesque deis ?
 3 Nam quo tantus honos formae et mens virgine major,
 4 si praematuris tot bona danda rogis ?
 5 Quid, quod praecipiti delapsu extincta puella
 6 invidiam fatis quoque parte facit ?
 7 Ipsa tamen felix quotiens, comprehendere non est,
 8 tam cito de vitae rapta puella malis,
 9 quae partam in patriam vita meritisque recepta,
 10 laeta deum fruitur commodiore solo.
 11 At nobis non longa dies, non commoda tota
 12 aeternam hanc dement pectore amaritiem.

DE PERFIDIA PUELLARI

E4_24 v.1 Sylvae Morelli, non nisi beluis
 2 mihique, sed jam plus quoque cognitae
 3 mihique lamentisque nostris
 4 quam patriis catulis ferarum ;
 5 et tu dolentis non semel auctior
 6 fletu, Remagi, ex quo placitum deis
 7 Cnidique reginae potenti
 8 mergere nos Stygio barathro ;
 9 vos sol et aurae et conscientia (proh dolor !)
 10 ardoris olim sidera mutui :
 11 adeste supremum ultimisque,
 12 si merui, date vim querelis.
 13 Nam quo aestuantis deinde novissima
 14 servantur oris verba, semel mori
 15 si jam necesse est ? Quin suprema
 16 cor tumidum satiamus ira ?
 17 Non sic capaci vis furit ignea
 18 fornace clusa aut fulmineus vapor,
 19 Austroque nimbosoque Cauro
 20 aetherias glomerante nubes.
 21 Haec, haec fides est, hoc meruit meus
 22 ardor ! Quid ultra spe miseri improbae
 23 torquemur incassumque amantes
 24 quod cupimus, meruisse avemus ?
 25 An quisquam inanem vanius aera
 26 captet dolosis retibus aut jubar
 27 solare consertis fenestris,
 28 quam meritis animos puellae ?
 29 Crudele saeclum, quas neque amor movet
 30 precesque, et ipsis de lacrimis virum,
 31 ceu rore vocales cicadae,
 32 exhilarant male fida corda !
 33 Ergo, dum inanis pectore spiritus
 34 curvaeque qualiscumque sonus lyrae,
 35 Chaosque et ultrices sorores
 36 perfidiae memores precabor.
 37 Quanquam quid amens, heu, precor aut cui ?
 38 Digna est, fatemur, quae pereat male ;
 39 sed ipse non iccirco dignus
 40 qui precer haec modo tantum amatae :
 41 quin vivat et nos nunc quoque sentiat
 42 ingrata amicos et facinus suum
 43 virtute de nostra fideque
 44 colligat et fateatur ultro !
 45 At ipse longae perfidiae memor,
 46 tandem solitus compede dispari,
 47 votumque persolvam potenti
 48 justitiae Nemesique sanctae.

EPITAPHIUM INNOCENTII OCTAVI

E4_25 v.1 Spurcicies, gula, avaritia atque ignavia deses
 2 hoc, Octave, jacent, quo tegeris, tumulo.

AD CAROLUM REGEM FRANCORUM

E4_26 v.1 Si tibi, rex, longinqua dies ac tempus amicos
 2 praestat et hic unus sensibus haeret amor,
 3 quis negat extremis numerandum infraque receptos,
 4 cuius adhuc notum vix bene nomen habes ?
 5 At, si certus amor moresque in amante probantur
 6 et placet in duris nobilitata fides,
 7 crede mihi, quamvis addas, rex optime, primis,
 8 ille novus primis non dishonestus ero.

AD PAULUM

E4_27 v.1 Quod tam saepe gravi torqueris, Paule, dolore
 2 et secat indignos saeva podagra pedes,
 3 non ultrix poena haec meriti, sed scilicet unus
 4 neve hominum felix neu sine labe fores.
 5 Tu tamen, insanos animo superante dolores,
 6 hoc magis invictum tollis in astra caput.

AD PUELLAM ETRUSCAM

E4_28 v.1 Puella Etrusca, quae meum
 2 pectus tot annos perdite
 3 torsisti amore mutuo,
 4 nunc nacta inanes discidi
 5 causas, novis amoribus
 6 servire inepta sustines
 7 Sacrique vatis in locum
 8 ascisti amantis nobiles,
 9 usura quos pascit gravis
 10 et instituta patria,
 11 qualis decebat scilicet
 12 quam di deaeque tam improbi
 13 sceleris, ut aequum est, puniunt.
 14 Vale, puella perfida,
 15 olim Marulli ocellule,
 16 indigna nostris ignibus,
 17 indigna tam certa fide !
 18 Me, post Neaeram, femina
 19 vel nulla (quod magis velim)
 20 vel certe habebit firmior ;
 21 tu spreta, tunc demum scies
 22 quantum profani et sordidi
 23 distent Marulli amoribus.

EPITAPHIUM PAULI TARCHANIOTAE AVUNCULI

E4_29 v.1 Quod procul Inachiis tegeris, carissime, ab oris,
 2 desine de fato, Tarchaniota, queri :
 3 una eadem terra est, quam cernis, ubique locorum,
 4 nec magis Elysium hinc aut minus inde viae ;
 5 nam nobis mandata satisque superque dedisti,
 6 tot rerum invictus pondere et exilii.

AD CAMILLAM

E4_30 v.1 Odi te, mihi crede, quantacumque es,
 2 odi, confiteor, Camilla, sed quam
 3 et odi et magis in dies magisque
 4 velim odisse, sequi atque amare cogor :
 5 sic me amor retrahit tuus trahitque,
 6 sic quem saevitia fugas proterva,
 7 tam rarae revocas decore formae.

EPITAPHIUM IOANNIS PICI

E4_31 v.1 Occidis aetatis media quod, Pice, juventa,
 2 ultima Socratica flenda ruina domus,
 3 nec vel nobilitas vel opes vel gratia formae
 4 profuit aut animi tot bona rara tui,
 5 non hoc, crede mihi, naturae injuria matris,
 6 larga vel imprimis quae fuit una tibi,
 7 sed vitae documenta hominum et quam fluxa sit ollis
 8 forma, genus, dotes ingenii, imperia.

AD CAROLUM REGEM FRANCIAE

E4_32 v.1 Invicte, Magni, rex, Caroli genus,
 2 quem tot virorum, tot superum piae
 3 sortes jacentis vindicemque
 4 justitiae fideique poscunt,
 5 quem maesta tellus Ausonis hinc vocat,
 6 illinc solutis Graecia crinibus,
 7 et quicquid immanis profanat
 8 Turca Asiae Syriaeque pinguis
 9 (olim virorum patria et artium
 10 sedesque vera ac relligio deum,
 11 nunc Christianae servitutis
 12 dedecus obprobriumque turpe) :
 13 quid caelitum ultro fata vocantia
 14 morare segnis ? Non ideo tibi
 15 victiarum tot repente
 16 di facilem tribuere palmam,
 17 primisque in annis et puer et patris
 18 favore casso tot populos feros,
 19 adusque pugnaces Britannos
 20 Alpibus Allobrogum ab nivosis,
 21 jussere victos tendere brachia ;
 22 si te decori gloria splendidi
 23 nil tangit immensumque in aevum
 24 nomina per populos itura,
 25 at supplicantum tot miserae exulum
 26 sordesque tangant et lacrimae piae,
 27 at Christianorum relicta
 28 ossa tot, heu, canibus lupisque,
 29 foedisque tangat relligio modis
 30 spurcata Christi, sospite Galliae
 31 rectore te nobis potentis,
 32 cuius avum proavumque clara

33 virtus furentem barbariem unice
 34 et Sarracenos contudit impetus,
 35 cum, saeva tempestas repente
 36 missa quasi illuviesque campis,
 37 non occupatae finibus Africæ
 38 contenti, Hiberi non opibus soli,
 39 sperare jam Gallos et ipsum
 40 ausi animis Rhodanum superbis.
 41 Sed nec bonorum tunc superum favor
 42 desideratus, nec tibi tam pia
 43 in bella eunti defuturus,
 44 Carle : moras modo mitte inertis,
 45 occasionem et, quam tribuunt, cape,
 46 aeque nocentis, dissimiles licet,
 47 gnarus, patrantem, quique, possit
 48 cum, scelus haud prohibet patrari.

EPITAPIUM BEATRICIS ESTENSIS

E4_33 v.1 Solverat Eridanus tumidarum flumina aquarum :
 2 solverat, et populis non levis horror erat,
 3 Quippe gravis Pyrrhae metuentes tempora cladis,
 4 credebant simili crescere flumen aqua.
 5 Ille dolor fuerat saevus lacrimaeque futuri
 6 funeris et justis dona paranda novis :
 7 scilicet et fluvios tangunt tua acerba, Beatrix,
 8 funera, nedum homines maestaque corda viri.

AD IANUM MEDICEN PETRI FRANCISCI FILIUM

E4_34 v.1 Amorem ocellis insidentem fulgidis
 2 vidi beatae Ruverae
 3 Charitesque circum et Dionen auream,
 4 spretis Cytheris dulcibus.
 5 Hic me volentem aut arma principis mei
 6 devota fari patriæ
 7 tuasve laudes, Jane, et antiquum decus,
 8 "Quo raperis, imprudens ? " ait.
 9 "Tun tot virorum, tot poeta virginum
 10 meusque longum signifer,
 11 unam relinques Ruveram indictam meam ?
 12 O immemor nostræ facis !
 13 An post Neaerae funera et tristes rogos
 14 tu quoque jam Amorem negligis ?
 15 Habuit, fatemur, illa et ardentes faces
 16 et nostra secum spicula
 17 multosque saepe matre, multos impotens
 18 me quoque vetante torserat :
 19 verum ipsa caelo dignior tandem suo
 20 templis deorum internitet.
 21 Nos tot beatis utpote excussi bonis,
 22 quae nulla reddent tempora,
 23 maesti tenebris egimus vitam diu,
 24 acturi in omne saeculum,
 25 ni paeti ocelli Ruverae et flavus decor
 26 collo jacentum crinium

27 vultusque, quales mater aut matris soror
 28 Pallas velit Tritonia,
 29 sceptris honorem reddidissent, imparem
 30 fateor, pigendum non tamen.
 31 Nam quid decori pectoris papillulas
 32 latusque dignum caelite,
 33 quid cilia dicam Bistonum aemula arcubus,
 34 cum prima tentant proelia ?
 35 Jam colla eburnea, jam Indicos elenchulos
 36 oris ferasque turbidas
 37 mulcere nata verba et amnis sistere
 38 altis citatos cursibus,
 39 Junone dignas jam manus, jam caetera
 40 egregia paucis exequi,
 41 formam Cythereae matris et laudes meae
 42 est velle paucis exequi.
 43 Sed haec caduci cuncta flos aevi brevis
 44 (aeque rosetis gemmeis,
 45 quae mane ripis Sileris aprici nova,
 46 surgente marcent vespero),
 47 ni tu rogatus dulcibus, vates meus,
 48 tuis Camenis subvenis,
 49 quae mortis atrae legibus, quae temporis
 50 potentiores invidi,
 51 vivos, sepultos, quos volunt, raptos humo,
 52 per ora mittunt gentium.
 53 Quod si petenti nec ego nec mater tibi
 54 unquam Cythere defuit,
 55 si Septimillam, si dedi Glyceren piam,
 56 quamvis petitam tot procis,
 57 si ipsam Neaeram specimen humanae unicum
 58 naturae et exactum decus
 59 (Neaeram honestum nomen aeternum mihi,
 60 vires Neaeram Cypridos,
 61 cuius quotannis maesta nunc tumulo quoque
 62 Charis capillum demetit) :
 63 per sacra Phoebi quae sacerdos fers tui
 64 novemque Musas numina,
 65 per siquid est, quod tela adhuc possunt mea
 66 sat tibi superque cognita,
 67 oro : malignis eripe hanc tenebris quoque
 68 oblivionis luridae,
 69 famae levatam curribus vivacibus,
 70 Musa novante saecula."
 71 Haec ille ; sed mihi redditae Antoni mei
 72 urgentiores litterae
 73 Alpes citatis passibus transcendere
 74 ad Galliae motum jubent :
 75 quare monenti, Jane, tu pare deo,
 76 ego sequar arma principis.